AUTHOR:

SOROF, GUSTAV

TITLE:

DE ARISTOTELIS GEOGRAPHIA CAPITA ...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1886

Master Negative #

93-81396-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books        FUL/BIB   NYCG93-B2812          Acq Maintenance  NYCG-YG
FIN ID NYCG93-B2812 - Record 1 of 1 - Record updated today
UNI
  ID:NYCG93-B2812              RTYP:a    ST:p    FRN:    MS:    EL:u     AD:03-31-93
  CC:9667  BLT:am      DCF:    CSC:d   MOD:      SNR:       ATC:         UD:04-15-93
  CP:gw      L:lat     INT:    GPC:    BIO:      FIC:0      CON:
  PC:s       PD:1886/          REP:a   CPI:0     FSI:0      ILC:         II:0
  MMD:d       OR:?   POL:b    DM:d    RR:d???    COL:b      EML:a     GEN:c  BSE:a
  040       NNC=‡cNNC
  100 1     Sorof, Gustav,=‡d1863-
  245 13    De Aristotelis geographia capita duo=‡h[microform].=‡cScripsit Gustavu
s
          Sorof.
  260       Halis Saxonum,=‡bFormis descripsit E. Karras,=‡c1886.
  300       92 p.
  502       Dissertation--Academia Fridericiana Halensi cum Vitebergensi Consociat
      a.
  600 00    Aristotle.
  LDG       RLIN
  QD        03-31-93
```

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 5.11.93 INITIALS SS

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0 9.0 10

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Hl. Dr. Voigt
in alter Freundschaft
d. Verf.

DE ARISTOTELIS GEOGRAPHIA CAPITA DUO.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUSTAVUS SOROF
MARCHICUS.

HALIS SAXONUM
FORMIS DESCRIPSIT E. KARRAS.
MDCCCLXXXVI.

In Aristotelis scriptis non pauca inveniuntur vestigia sententiarum, quae et ad mathematicam quae dicitur geographiam atque astronomiam et ad physicam geographiam et ad chorographiam pertinent, quae omnia magni momenti sunt. Etenim quod ad mathematicam pertinet geographiam, Aristotelem eis, quae iam ab aliis proposita erant, collectis atque dispositis eam mundi rationem constituisse constat, quae per totam antiquitatem magnam habuit auctoritatem. Tum in 'meteorologicis' primus certa via ac ratione adhibita elementa eius litterarum partis, quam nos physicam vocamus, tractavit. Denique quod ad chorographiam attinet, nomina et terrarum et urbium, quae in eius scriptis exstant, ea de causa magni momenti sunt, quia inde intellegi et conici potest, ad quam terrarum notitiam Graeci pervenerint, priusquam et Alexandri expeditione et Pytheae itineribus scientia orientalium et occidentalium regionum magnopere aucta est. Quantopere autem Alexandri temporibus aucta sit, hoc non, ut Koenigsmannus (de geographia Aristotelis. Slesvici 1803—1805, p. 1) vult, ex Aristotelis scriptis intellegi, sed Eratosthenis fragmenta primos eius rei testes esse Bergerus (die geographischen Fragmente des Eratosthenes. Leipzig 1880, p. 72 Anm. 2) recte monet. Tamen Aristotelem in chorographiae historia magnam habere auctoritatem apparet.

Primus de Aristotelis geographia Koenigsmannus in ea dissertatione, quam paulo ante laudavimus, disputavit, sed ita, ut ea, quae in Aristotelis scriptis inveniuntur, colligeret potius, quam accuratius tractaret. Praeterea Mannertus, Ukertus, Forbigerus in libris suis de veterum geographia scriptis leviter hanc rem tetigerunt.

Nos de chorographia Aristotelis disputaturi hac priore dissertationis parte de Europa dicemus; sed priusquam ad ipsam chorographiam adgressi sumus, prima paragrapho quaesivimus, quid philosophus de figura totius terrae censuerit quemque ei in mundo tribuerit locum, altera de magnitudine terrae pauca addidimus, tertia exposuimus, quid de ea terrae parte protulerit, quam solam habitari posse putavit.

Sed ne finibus, quibus tales commentationes fere coercentur, dissertatio nimis excedat, modo tertiam paragraphum totam, quartae maiorem partem formis describi iussimus.

Quae vero in Aristotelis scriptis ad chorographiam pertinent, ea per omnes eius libros dispersa inveniuntur. Neque vero eorum librorum rationem habebimus, quos non genuinos, sed subditicios esse satis constat; quae autem in his libris et urbium et terrarum nomina non pauca exstant, ea modo afferemus, non accuratius tractabimus.

Horum vero librorum subditiciorum, qui non parvam chorographiae materiem praebeant, in numero imprimis habendi sunt libri de mundo (cf. Zeller, Philosophie der Griechen III A[3] p. 631), de mirabilibus auscultationibus (l. l. II B p. 109), de oeconomicis (ib. p. 105), de problematibus (ib. p. 100), dę plantis (ib. p. 98), de animalibus historiae liber decimus (ib. p. 92).

De ea terrae parte, quam habitari veteres putabant, quam Graeci τὴν οἰκουμένην vocant.

Iam ab antiquissimis temporibus virorum doctorum animos ea quaestio occupatos tenebat, quae terrae partes mari obtinerentur, magnique in historia antiquae geographiae momenti et nobis quoque tractanda est.

Sed duplici modo iam a veteribus geographis ita tractata ea est, ut et ad totam terram et ad eam solam eius plagam, quae habitari posset, respicerent.

Per se ipsum quidem intellegitur, hanc quaestionem a veteribus nunquam ad finem perduci potuisse; sed cum iam ab Herodoti inde temporibus, ubi sententiae de terra habitata maribusque eam circumdantibus ad maiorem veritatem adductae sunt, tum globositate terrae cognita imprimis Alexandri eiusque ducum expeditionibus materies ad hanc quaestionem tractandam valde aucta est. Atque inde ab his fere temporibus duae opiniones inter se pugnabant, cum alii terram, quae habitaretur, insulam undique mari circumdatam ducerent et veri simile esse putarent, alias quoque in terrae globo eiusmodi insulas ab aliis hominibus habitari, alii vero, quia nemini adhuc contigisset, ut totam terram circumnavigaret, hanc sententiam proponerent, non insulas complures mari circumdatas et habitatas, sed potius complures quasi lacus terrâ inter se continua circumdatos et isthmis inter se secretos in terrae globo esse. Cuius posterioris opinionis, quae usque ad Ptolemaei atque etiam medii aevi tempora valebat, apud Eratosthenem prima videntur vestigia apparere.

Ex verbis enim Eratosthenis apud Strabonem (I 5 s.) traditis (Berger, geogr. Fragm. des Er. fr. II A, 13), ubi Strabo unam ex causis affert, quibus Eratosthenes terram

insulam esse comprobare studuit, conici potest, Eratosthenem his causis contra alteram illam sententiam huic contrariam pugnavisse. Hipparchi autem et Polybii temporibus hanc sententiam perfectam et constitutam fuisse, ex ea ratione intellegitur, qua Hipparchus Eratosthenem insularem terrae formam comprobare studentem impugnat, unde tamen iniuria colligi Hipparchum ipsam Eratosthenis sententiam impugnare, Bergerus aperte demonstrat.[1]) Atque apud Polybium eam certis verbis expressam invenimus (III 38): *καθάπερ δὲ καὶ τῆς Ἀσίας καὶ τῆς Λιβύης, καθὸ συνάπτουσιν ἀλλήλαις περὶ τὴν Αἰθιοπίαν, οὐδεὶς ἔχει λέγειν ἀτρεκῶς ἕως τῶν καθ' ἡμᾶς καιρῶν πότερον ἤπειρός ἐστι κατὰ τὸ συνεχὲς τὰ πρὸς μεσημβρίαν ἢ θαλάττῃ περιέχεται κ. τ. λ.* Quo loco manifestum est prima elementa eius opinionis de Asiae cum Libya coniunctione inveniri, quam Ptolemaeus ad perfectam rationem adduxit, unde sequitur, Polybii temporibus iam illam de compluribus lacubus definitam fuisse sententiam, quorum unum intra Africam orientalem et Asiam meridionalem sitam esse opinabantur, ubi oceanus qui nunc vocatur Indicus est. Quomodo autem haec sententia cum proposita et defensa, tum impugnata sit, ex nonnullis locis Strabonianis cognosci licet, ubi Strabo contra eam pugnat.[2]) Ex his locis apparet, hanc sententiam inde ortam esse, quod constare videbatur, omnes, qui adhuc singulas terrae partes, imprimis Libyam, circumnavigare conati essent, certis quibusdam locis subsistere coactos eadem via, qua profecti essent, redisse; inde coniciebatur, eos terra obsistente longius progredi prohibitos esse. Qui vero contra hanc sententiam pugnabant affirmantes, terram habitatam undique mari circumdatam esse, hanc suam contrariam opinionem et expeditionibus terra marique factis et eo defendere studebant, quod in omnibus oris illis temporibus notis aestus maritimi eadem ratione et accedere et recedere viderentur (cf. Berger, Erat. fragm. p. 88 ss. id. Hipparch. fragm. p. 79 ss.); eosque

---

[1]) Hipp. fragm. VIII, 1. Strab. I 6.

[2]) Strab. I 5: *οὐκ εἰκὸς δὲ διθάλαττον εἶναι κ. τ. λ.* cf. I 32 § 26 in.

qui circa terram habitatam navigantes subsistere coacti essent, non terra obstante, sed inopia et terrae vastitate coactos esse censebant.[1])

Iamiam quaestio oritur, utrum illa de lacubus sententia iam ante Eratosthenem exstiterit, an eius vestigia apud hunc primum inveniantur. Atque Gosselinius quidem (géographie de Strabon, traduite du grec en français I p. 12 adn. 4) auctorem huius sententiae Hipparchum dicit. Letronnius contra (Journal des Savans, 1831 p. 476—480. 545—555) Gosselinium impugnans huius sententiae vestigia iam in Aristotelis scriptis invenisse sibi videtur. Ad eandem sententiam Bergerus, qui, quod sciam, novissimus hanc rem tetigit (cf. Hipp. fragm. p. 58. Eratosth. fragm. p. 89), propensus videtur esse, quamquam rem in medio relinquit, a Letronnio eo dissentiens, quod hic Hipparchum illam sententiam ipsum sequentem facit, Bergerus contra recte iudicat, Hipparchum tantummodo eam causam, quam Eratosthenes ad suam sententiam comprobandam ex aestuum marinorum accessu et recessu colligit, utpote ineptam reicere. Rugius autem (der Chaldäer Seleucus. Dresden 1865) cum Letronnio consentiens Hipparchum sententiam ipsam proposuisse contra eundem contendit, nulla eius vestigia apud Aristotelem inveniri, sed Seleucum Hipparchi fere aequalem auctorem eius esse. A. de Humboldtius contra diu cunctatus denique plane Letronnio adstipulatus est (Kritische Untersuchungen etc. I p. 144. 161. 330. 370). Cum Letronnius et Rugius soli accuratius rem tractaverint, horum imprimis ratio nobis habenda est.

Atque loci, quibus Hipparchi, ut putat, sententiam iam apud Aristotelem expressam invenire sibi videtur Letronnius, sunt de caelo II 14, 14 et Meteor. II 5, 15. Priore enim loco Aristoteles postquam statuit, terram globi formam habere et parvi quidem globi, haec addit: *διὸ τοὺς υπολαμβάνοντας συνάπτειν τὸν περὶ τὰς Ἡρακλείους στήλας τόπον τῷ περὶ τὴν Ἰνδικὴν καὶ τοῦτον τὸν τρόπον εἶναι τὴν θάλατταν μίαν, μὴ λίαν ὑπολαμβάνειν ἄπιστα δοκεῖν · λέγουσι*

---

[1]) cf. Strab. l. l. l. l.

δὲ τεκμαιρόμενοι καὶ τοῖς ἐλέφασιν, ὅτι περὶ ἀμφοτέρους τοὺς τόπους τοὺς ἐσχατεύοντας τὸ γένος αὐτῶν ἐστιν, ὡς τῶν ἐσχάτων διὰ τὸ συνάπτειν ἀλλήλοις τοῦτο πεπονθότων. Quae verba Letronnius l. l. post *τοῦτον τὸν τρόπον* addens *οὐκ* ita reddit: 'Ceux qui pensent que la région vers les colonnes d'Hercule est jointe avec les pays de l'Inde et que de cette manière il n'y a pas sur le globe une seule mer continue, ne semble pas émettre une opinion trop incroyable; entre autres preuves ils citent les éléphans qui se trouvent dans les deux régions, ce qui tient, disent-ils, à ce que les extrémités de la terre se joignent et sont contigues entre elles.' Quam vero Letronnius proponit coniecturam, eam omnino non necessariam esse, sed potius sententiam totius loci perturbare iam Rugius l. l. statuit et ex tota de hac re disputatione facile apparebit.

Atque primum quidem monendum est, Aristotelem his verbis non suam, sed aliorum eorumque aequalium, qui scilicet terrae globositatem comprobatam habebant, afferre sententiam; neque Letronnius, ut Rugius (l. l. p. 20) dicit, eam Aristoteli ipsi tribuit, sed statuit, hunc quidem eam propter exiguitatem globi non improbabilem putare; sed inde non colligendum esse, eum ipsum eam probavisse. Putabant igitur illi viri, *συνάπτειν τὸν περὶ τὰς Ἡρακλείους στήλας τόπον τῷ περὶ τὴν Ἰνδικὴν καὶ τοῦτον τὸν τρόπον εἶναι τὴν θάλατταν μίαν.* Ad haec verba recte explicanda praeter cetera statuendum est, quomodo verbum *συνάπτειν* intellegendum sit. Strabo enim (I 56) duplicem huius vocis vim statuit: *τὸ συνάπτειν σημαίνει καὶ τὸ συνεγγίζειν καὶ τὸ ψαύειν* i. e. et 'non longe abesse' et 'attingere'. Atque viri docti alii (Koenigsmannus, de geographia Arist. p. 113. Letronnius l. l. Forbigerus, Handbuch der alt. Geogr. I p. 164) hanc, alii (Simplicius ad. Aristot. de caelo II 14, 15. Vossius, krit. Blätter II p. 151. Mannertus, Geogr. der Gr. u. R. I p. 76 ss. A. de Humboldtius, krit. Unters. I p. 119 s. Bergerus, Erat. fragm. p. 89) illam explicationem adhibent. Atque Bergeri quidem verborum explicatio haec est: 'Man dachte sich den westlichen und östlichen Ocean in einen Arm von unserer das Tetartemorion weit überflügelnden Oekumene

so zusammengedrängt, dass der Gedanke an eine Oekumene der Periöken schwinden musste', quae sententia per se ipsa quidem aptissima est. Sed de nullo horum virorum doctorum apparet, qua ratione ad suam interpretationem adductus sit; neque ullus eorum animadvertisse videtur, Aristotelem ipsum nos docere, quomodo vox *συνάπτειν* intellegi velit. Namque Meteor. II 5, 15 ad illam, quam de caelo l. l. attulit, sententiam respiciens haec dicit: *τὰ δὲ τῆς Ἰνδικῆς ἔξω καὶ τῶν Ἡρακλείων στηλῶν διὰ τὴν θάλατταν οὐ φαίνεται συνείρειν τῷ συνεχῶς εἶναι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην.* Apparet autem in his verbis *συνείρειν* positum esse pro *συνάπτειν,* eandem atque hoc verbum significationem habens. Perverse autem Rugius (l. l. p. 22) verba ita explicat: 'Die Länder, welche jenseits Indien und der Säulen des Herkules liegen, scheinen wegen des Meeres nicht zusammenzuhängen, da die Erde ununterbrochen fortläuft.' Potius verbis *τῷ συνεχῶς εἶναι π. τ. οἰκ.,* cum arte coniungenda sint cum *συνείρειν,* ratio continetur, qua illae regiones non videntur *συνείρειν,* et ea de causa ita explicanda sunt, ut significent: loca extra Indiam et columnas Herculis sita non videntur hoc modo *συνείρειν*, ut inter se continua (coniuncta, contigua) sint.

Aristoteles igitur verba *συνείρειν* et *συνάπτειν* ita intellegi vult, ut idem significent, atque *συνεχῶς εἶναι,* i. e., ut Bonitzii (ind. Aristot. s. *συνεχής*) verbis utar, 'continuitatem eam, qua quid cum proximis et contiguis rebus cohaeret.' Atque eodem hoc modo verbum *συνάπτειν* a Strabone (VII 294) adhibitum invenimus: *οὔτε γὰρ τοὺς Βαστάρνας οὔτε τοὺς Σαυρομάτας καὶ ἁπλῶς τοὺς ὑπὲρ τοῦ Πόντου οἰκοῦντας ἴσμεν, οὐθ' ὁπόσον ἀπέχουσι τῆς Ἀτλαντικῆς θαλάττης, οὔτ' εἰ συνάπτουσιν αὐτῇ,* et ita quidem, ut voci *συνάπτειν* opponatur verbum 'distare' (cf. Strab. II 120).

Quae cum ita sint, non dubium mihi est, quin ei, quorum sententiam Aristoteles proponit, existimaverint, regionem extra Indiam sitam certis quibusdam locis coniunctam esse cum regione extra columnas Herculis sita. Sed tale aliquid Aristotelis temporibus proponi potuisse Rugius (l. l. p. 21) negat, 'da zu seiner Zeit die Küsten Europas und Afrikas beiderseits der Meerenge auf mindestens 600 Meilen befahren

waren, ohne dass man eine Länderbrücke oder etwas ähnliches gesehen.' Idem vero dicendum est de Hipparchi et Seleuci temporibus et supra p. 6 s. monuimus, Strabonem eadem proferre contra eandem hanc sententiam, quam Rugius ab Aristotelis temporibus abiudicare studet. Quod autem putat Aristotelem verbis *τῷ συνεχῶς εἶναι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην* eam terrae habitatae continuationem significare, quae sit ab India occidentem versus usque ad columnas Herculis, haec explicatio vel per se ipsa inepta ex falsa illorum verborum interpretatione orta est. Sed aliud quoque contra hanc sententiam afferri potest et quodammodo iam a Rugio (l. l. p. 21) monitum est, cum dicit: 'Oder ist es denkbar, dass sich Hipparch nicht auf Aristoteles berufen hätte, wenn sich bei ihm die Ansicht fände?' Quod vix sane cogitari posse concedendum est; sed potest etiam cogitari Hipparchum quidem sententiae, quam Aristoteles tradidit, mentionem fecisse, Strabonem autem hoc praetermisisse. Nam hunc totam hanc rem obiter tractare et imprimis Hipparchum refutare omnino non studere tenendum est (cf. Berger, Hipparch. fragm. p. 80).

Quibus autem locis hanc utriusque regionis coniunctionem fieri illos putavisse existimandum sit, inde perspicuum est, quod eidem viri ex illa regionum coniunctione colligebant, *εἶναι τὴν θάλατταν μίαν.* Quae verba ab omnibus interpretibus adhuc ad totum mare terram habitatam circumdans referebantur, et ita potissimum impeditum esse opinor, quominus Aristotelis verba recte explicarentur. Sed antecedentibus verbis l. l. tantummodo de eis regionibus agitur, quae sint extra Indiam et columnas Herculis; simplicissimum igitur est, haec quoque verba ad id mare referre, quod extra Herculis columnas et extra Indiam esse constabat; facere igitur non possumus, quin ab illis viris Libyae oram occidentalem non meridiem, sed occidentem versus animo ductam et ita cum Asiae ora orientali coniunctam esse statuamus, eodem modo, quo Europae oram occidentalem non ad septentrionem, sed ad occidentem versus ductam cum eadem Asiae orientali ora coniungebant; hoc autem modo mare extra columnas Herculis et mare extra Indiam situm unum

mare factum est undique terra circumdatum. Qui autem hunc unum quasi lacum inter Libyam occidentalem et Asiam orientalem situm statuebant, facere non poterant, quin, quoniam oceani qui nunc vocatur Indici notionem habebant, etiam alterum quendam inter Libyae oram orientalem et Asiae meridionalem situm statuerent et utramque oram meridiem versus alia ora animo coniungerent. Huius quidem posterioris rationis quamquam apud Aristotelem aut alium eiusdem aetatis scriptorem nulla iuveniuntur vestigia, tamen eam fuisse Letronnius l. l., cui adstipulantur A. de Humboldtius (l. l. p. 557 ss.), Forbigerus (l. l. p. 204 adn. 68), Bergerus (Hipp. fr. p. 88. Erat. fr. p. 73), ea narratione iure comprobatum habet, quae est apud Arrianum (anab. Alex. VI 1), Alexandrum cum ad Acesinem flumen pervenerit primi Nili fluminis initia invenisse sibi visum esse. Quae cum ita sint, fere extra omnem dubitationem mihi positum videtur, iam Aristotelis temporibus fuisse, qui eam rationem defenderent, qua terra habitata omnino continua putabatur, contra complures quasi lacus undique terra circumdati statuebantur. Quae opinio quomodo orta esse videatur, supra monuimus; quomodo autem eam comprobare studuerint, Aristoteles ipse l. l. (de caelo II 14, 15) tradit: *λέγουσι δὲ τεκμαιρόμενοι καὶ τοῖς ἐλέφασιν, ὅτι περὶ ἀμφοτέρους τοὺς τόπους τοὺς ἐσχατεύοντας τὸ γένος αὐτῶν ἐστιν ὡς τῶν ἐσχάτων διὰ τὸ συνάπτειν ἀλλήλοις τοῦτο πεπονθότων.* Quae verba, in quibus *περὶ ἀμφοτέρους τοὺς τόπους τοὺς ἐσχατεύοντας* significant 'circa ea loca, quae ad id tempus extrema esse putantur', tum demum aptam sententiam praebent, cum antecedentia verba ita ut a nobis factum est explicantur. Ratio autem, quam adhibent viri illi, eadem est, quam apud Arrianum Alexandro tribui videmus; nam is quoque eo, quod in Acesine flumine easdem feras inveniebat, quas antea in Nilo animadverterat — erant autem crocodili —, ad suam de Nili fontibus sententiam adductus esse dicitur.

Verum monendum est, apud Aristotelem nulla isthmorum vestigia inveniri, quibus singula maria vel lacus inter se seiungi nonnullos putavisse ex Strabone (I 5. 32) cognoscimus;

atque veri mihi videtur simillimum, hanc opinionem tum demum exstitisse, postquam mare Caspium coniunctum esse cum septentrionali mari comprobatum esse visum est, ubi ea ratio videtur orta esse, qua singulae partes terrae habitatae isthmis inter se dividebantur (cf. Berger, Erat. fr. p. 165).

Aristoteles autem hanc de lacubus opinionem non videtur comprobavisse. Nam loco supra laudato (Meteor. II 5, 15) diserte eam, quam de caelo II 14, 15 attulerat, sententiam refutat dicens, loca extra columnas Herculis et extra Indiam sita non videri inter se coniuncta eaque de causa ne terram quidem continuam esse *διὰ τὴν θάλατταν*. Haec verba, si locus qui est de caelo II 14, 15 supra recte expositus est, vix aliter intellegi possunt, atque ut significent, et occidentales et orientales terrae oras totas mari allui, ut ea de causa inter se coniuncta esse non possint. Eandemque sententiam habent verba, quae paullo ante exstant: *ὅ τε γὰρ λόγος δείκνυσιν, ὅτι ἐπὶ πλάτος μὲν ὥρισται, τὸ δὲ κύκλῳ συνάπτειν ἐνδέχεται διὰ τὴν κρᾶσιν* (*οὐ γὰρ ὑπερβάλλει τὰ καύματα καὶ τὸ ψῦχος κατὰ μῆκος, ἀλλ' ἐπὶ πλάτος*), *ὥστ' εἰ μή που κωλύει θαλάττης πλῆθος, ἅπαν εἶναι πορεύσιμον, κ. τ. λ.* Perverse adhuc interpretes verba *ὥστ' — πορεύσιμον* arte coniunxerunt cum verbis *οὐ γὰρ — πλάτος* eisdemque uncis incluserunt. Nam terram habitatam peragrari posse non inde sequitur, quod caeli temperies non in longitudinem, sed in latitudinem extra modum excedit, sed inde, quod teram habitatam continuam esse cogitari potest. Haec igitur est loci sententia: propter caeli temperiem fieri potest, ut terra habitata continua sit, sed propter mare non videtur continua esse; opponuntur igitur temperies (*κρᾶσις*) atque maris magnitudo et in latitudinem ambitus (*θαλάττης πλῆθος*). Praeterea monendum est, vocem *πορεύσιμον* hoc loco propter significationem verbi *συνάπτειν* nonnisi ad terrae non ad maris peragrationem referendam esse.

Quae cum ita sint, Aristotelem aut omnino hanc quaestionem in medio reliquisse aut putavisse terram mari undique circumdatam esse statuendum est. Tertium non est, quod cogitari possit. Etenim amnem illum Oceanum, quem

etiam post Homerum circa terram orbicularem circumfluere putabant, a poëtis fictum esse iam Herodotus statuerat (II 26) eandemque de hac re sententiam Aristoteles quoque profert (Meteor. I 9, 5 s.), ubi de vapore, qui aquae exhalatione efficitur, et de nubibus, quae una cum illo vapore circa terrae globum in orbem circumferuntur, agit, unde apparet Aristotelem quoque iudicavisse oceanum rem esse fictam; sed cum Herodotus hoc commentum tantummodo verbo tangat, philosophus quaerit, quonam modo illa de Oceano sententia oriri potuerit, et sine dubio rectam adhibet interpretationem. Nam magnam habet probabilitatem id, quod Bergerus (Erat. fragm. p. 71 adn. 3) monet, primitivam oceani significationem non ad mare, sed ad aërem undique terram circumdantem pertinuisse, ita ut ii, qui primi oceani vocem adhibuerunt, finitorem, quem nos horizontem dicimus, significare voluerint; similemque sententiam Aristoteles quoque illis verbis videtur proponere.

Iam accuratius inquirendum est, num certa quaedam Aristotelis de tota hac quaestione sententia ex scriptis eius elici possit, postquam supra monuimus statuendum esse, eum aut hanc rem in medio reliquisse (cf. Berger, Erat. fr. p. 72 et 'zur Entwicklung der Geographie der Erdkugel bei den Hellenen' in 'Grenzboten' 1880, No. 49, p. 409 s.), aut iudicavisse, terram undique mari circumdatam esse (cf. Berger, Erat. fragm. p. 73). Priori sententiae suffragari videntur verba, quae sunt Meteor. II 5, 13: *ὅ τε γὰρ λόγος δείκνυται ὅτι ἐπὶ πλάτος μὲν ὥρισται* (*ἡ οἰκουμένη* sc.), *τὸ δὲ κύκλῳ συνάπτειν ἐνδέχεται διὰ τὴν κρᾶσιν, — — ὥστ' εἰ μή που κωλύει θαλάττης πλῆθος, ἅπαν εἶναι πορεύσιμον κ. τ. λ.*, ubi extrema verba *εἰ μή που κ. τ. λ.* haesitationem quandam iudicandi prae se ferunt; idemque dicendum est de eis verbis, quae l. l. § 15 exstant: *τὰ δὲ τῆς Ἰνδικῆς ἔξω καὶ τῶν Ἡρακλείων στηλῶν διὰ τὴν θάλατταν οὐ φαίνεται συνείρειν κ. τ. λ.* Sed uterque locus pugnare videtur cum loco supra tractato (de caelo II 14, 15), ubi Aristoteles aliorum de lacubus sententiam affert eamque dicit haud ita improbabilem videri. Sed hoc loco sententiarum nexus hic est: terra globi formam habet eiusque parvi; hac ipsa de causa cogitari

potest, regiones, quae orientem et occidentem versus extremae videntur esse, inter se coniunctas esse. Ipsam igitur sententiam philosophus non probat, sed dicit tantummodo, eam propter parvam terrae molem haud improbabilem esse. Sed locis ex meteorologicis haustis docemur, hanc sententiam propter mare, quod orientalem et occidentalem oram terrae habitatae alluat, non probabilem videri.

Videamus iam, quibus maribus Aristotelem habitatam terram circumdatam esse putaverit. Atque quinque sunt loci, quibus exterioris maris, quod certas quasdam oras exteriores alluat, mentio fit.

Met. I 13, 21 Aristoteles dicit Chremeten, flumen Libyae, in exterius mare se immittere, neque dubium est, quin hoc flumen idem sit, quod in Hannonis periplo (p. 8 Müll.) vocatur Chretes et in Libyae ora occidentali in Cernae insulae sinum effluere dicitur. Significatio igitur *ἡ ἔξω θάλασσα* hoc loco ad id mare pertinet, quod occidentalem oram Libyae alluit. Cum autem philosophus Met. I 13, 19 dicat, Tartessum flumen ex Pyrenaeo monte Celtico ortum extra columnas fluere, eiusdem maris exterioris occidentalem Europae non minus, quam Libyae oram alluentis mentionem habemus, quod Met. II 1, 14 dicitur propter lutum non profundum esse et ventorum flatu carere, quasi in cavo loco situm sit.

Met. II 5, 16 ss. Aristoteles comprobare studet, austrum non a polo meridionali flare, sed a tropico aestivo, et inde proficiscitur, in ea zona habitabili, quae ad alterum polum versus sita sit, eandem ventorum rationem esse, atque in nostra; itaque etiam in illa zona semper aquilones et austros flare, sicut in nostra terra. Sed aquilonem apud nos flantem ne per nostram quidem terram habitatam totam ire, sed antea deficere, idemque statuendum esse de eo vento, qui ab arcto meridionali ordiatur. Nam sicut apud nos — itemque in terra habitata meridionali — semper aquilones et austri flent, ita circa mare meridionale extra Libyam situm vulturnos et zephyros continenter sibi succedentes flare. Opponitur igitur utraque terra habitata, et septentrionalis et meridionalis, Libyae oris quae mari meridionali alluantur, ultra quas venti in utraque terra ab arcto orti

flare nequeant. Inde sequitur, Aristotelem existimavisse illas terras habitatas mari meridionali extra Libyam sito quodammodo inter se seiungi, Libyam igitur meridiem versus mari terminari.

Met. II 1, 10, ubi dicit Aristoteles, mare rubrum, quo nomine eum sinum Arabicum significare statuendum est, non undique terra inclusum esse, eandem significationem exterioris maris adhibet, idemque dicendum est de loco qui est Met. I 13, 15, ubi opinionem illam affert, a Parnasso monte, qui postea Paropamisus vocari solebat, exterius mare cerni posse. Aristotelem autem hoc loco de rubro mari, quod nunc est Oceanus Indicus, cogitavisse, Olympiodori est explicatio omnium veri simillima.[1])

Inde vero, quod tres terrae oras continuas mari allui Aristoteles putabat, vel per se ipsum intellegitur, eum hoc mare unum atque continuum censuisse, quo accedit, quod ad omnes huius maris partes significandas eandem notionem 'exterioris maris' adhibet, quod vix facere potuit, nisi singulas partes unum mare efficere iudicavisset.

Denique Met. II 5, 15 vestigia eius maris inveniuntur, quod orientalem Asiae oram alluat. Nam cum dicit, regiones extra columnas Herculis et extra Indiam sitas non videri continuas esse propter mare, primum quidem existimandum est, Aristotelem cogitavisse de eo mari, quod occidentalem Libyae et Europae oram adluit. Sed, ut supra monuimus, in verbis *διὰ τὴν θάλατταν* haec opinio latet, orientales quoque terrae habitatae regiones totas mari terminari. Nam Herodotus, cum terram orbicularem putaret, se nescire, utrum orientales terrae habitatae plagae mari allueruntur, an ultra Indiam vasta terra pateret, statuere potuit. Sed Aristotelem ita statuere globosa terrae forma vetuit, propter quam Indiam, quam ipse quoque extremam regionem orientalem iudicabat, nisi mari terminabatur, cum occidentali Libyae et Europae ora coniunctam esse oportebat; hanc vero sententiam ab Aristotele reiectam, alteram probatam esse supra exposuimus.

---

[1]) Olympiod. ad Meteor. I 13, 15: *ἔξω θάλατταν τὴν ἐρυθραν δια το μὴ ἔχειν πέρας.*

Unde sequitur, orientalem quoque terrae habitatae oram mari extero allui Aristotelem iudicavisse, neque dubitabimus ei opinionem tribuere, hoc quoque mare cum meridionali coniunctum esse.

Restat quartum latus septentrionale, cuius apud Aristotelem nulla mentio videtur inveniri, cum contra Herodotus aperte dicat, non exploratum esse, num Europa, quam Phasi flumine ab Asia dividi volebat, etiam a septentrione mari circumfluatur (IV 45). Eratosthenem autem, qui primus testis est, quantopere et Alexandri eiusque ducum expeditionibus et Pytheae navigatione notio terrae aucta sit, pro certo affirmantem videmus, terram habitatam esse insulam undique mari exteriore circumdatam (cf. Berger, Erat. fragm. p. 91 ss.). Aristoteles vero eo quidem tempore, quo libros nobis servatos scripsit, novam maris septentrionalis notitiam, cuius auctor Pytheas erat, nondum habebat, cumque in libris eius maris cuiusdam septentrionalis ne verbo quidem mentio fiat, veri simillimum esset, eum de septentrionali terrae habitatae latere eandem, quam Herodotum, dubitationem habuisse, nisi unus locus esset, qui videtur nos cogere aliter sentire. Namque Meteor. I 13, 14 ss., ubi eam sententiam comprobare studet, ex maximis montibus maxima flumina oriri, postquam de Asiae fluminibus verba fecit et ad Europam transiens Istrum et Tartessum ex Pyrenaeo monte defluentes commemoravit, § 20 ita pergit: *τῶν δ᾽ἄλλων ποταμῶν οἱ πλεῖστοι πρὸς ἄρκτον ἐκ τῶν ὀρῶν τῶν Ἀρκυνίων· ταῦτα δὲ καὶ ὕψει καὶ πλήθει μέγιστα περὶ τόπον τοῦτόν* (i. e. in Europa) *ἐστιν.* Sive autem illos montes Alpes esse, ut Kiepertus (Lehrb. d. alt. Geogr. p. 4. 224) vult, sive aliter statuendum est, ex illis verbis hoc satis certe videtur apparere, Aristotelem, quamquam quo flumina illa fluant, utrum in mare quoddam, an in lacum, an in aliud flumen, non dicit, tamen hoc loco de mari quodam septentrionali cogitavisse, cum vix dubium sit, quin, si aliter sensisset, apertis verbis dicturus fuerit, quo illa magna flumina se immittere putaverit. Eaque de causa ne illa quidem opinio ne contra hanc ratiocinationem proferatur timendum est, philosophum de fluminibus in Istrum se immittentibus,

de quibus Herodotus (IV 84 s.) agit, cogitavisse. Fuisse enim iam Aristotelis et prioribus temporibus notitiam quandam maris septentrionalis aperte Herodoti verba (III 115) declarant, quibus de Eridano flumine et Cassiteritibus insulis agit: *οὔτε γὰρ ἔγωγε ἐνδέκομαι Ἠριδανὸν καλέεσθαι πρὸς βαρβάρων ποταμὸν ἐκδιδόντα ἐς θάλασσαν τὴν πρὸς βορέην ἄνεμον, ἀπ᾽ ὅτευ τὸ ἤλεκτρον φοιτᾶν λόγος ἐστί, οὔτε νήσους οἶδα Κασσιτερίδας ἐούσας, ἐκ τῶν ὁ κασσίτερος ἡμῖν φοιτᾷ.*[1]) Aristotelem igitur etiam fluminum per Germaniam in septentrionale mare euntium notitiam quamvis incertam habuisse facile cogitari potest.

Sed Koenigsmannus (l. l. p. 113) ex verbis Meteor. I 13 l. l. proxime sequentibus contrariam sententiam petere posse sibi videtur. Inde enim, quod Aristoteles dicit sub ipsa ursa trans extremam Scythiam Rhipaeos qui vocentur montes sitos esse, quorum de magnitudine multa fabulosa referantur, vir doctus colligit, philosophum putavisse terram septentrionem versus non mari, sed his montibus terminari. Antecedenti quidem paragrapho a nobis expositum erat Aristotelem putavisse terram septentrionem versus iis locis, quae sub ursa sita essent, propter frigus habitari desinere; quam sententiam si cum illis philosophi verbis, quibus de montibus Rhipaeis agit, conferamus, sane illa Koenigsmanni opinio aliquam probabilitatem habere videtur. Sed illis verbis demonstrari philosophum putavisse, terram habitatam a septentrione mari non circumdari, hoc equidem non intellego. Si enim concedamus illam Koenigsmanni coniecturam veram esse, tamen quaerendum est, quamnam sententiam philosophus de eis regionibus habuerit, quae ultra illos montes ad polum versus sita sint; nam facere non poterat, quin iudicaret eas aut terram continentem propter frigus non habitabilem aut mari completas esse. Atque ex loco supra tractato colligendum mihi videtur eum hanc posteriorem sententiam habuisse, neque ita statuere nos prohibent verba, quae sunt Met. II 5, 8, ubi regionem sub ipsa arcto positam his verbis

[1]) cf. Müllenhoff, Deutsche Altertumsk. I p. 218 ss.

describit: . . . *ὁ μὲν βορέας ἀπὸ τῶν ὑπὸ τὴν ἄρκτον πνεῖ τόπων, οἳ πλήρεις ὕδατος καὶ χιόνος εἰσὶ πολλῆς.*

Quae cum ita sint, iam Aristotelem terram habitatam pro insula undique mari circumdata habuisse statuendum esse iudicamus. Atque sententiam ne ea quidem labefactant, quae sunt apud Philoponum (de mundi creat. IV 5): *τῶν γεγραφότων τὰς περιόδους τῆς γῆς οἱ μὲν ᾠήθησαν τὸν ὠκεανὸν κύκλῳ περιστρέφειν τὴν γῆν ἅπασαν, οἷόν τινα νῆσον αὐτὴν ἐγκολπισάμενον, πλανηθέντες, ὡς Ἀριστοτέλης φησίν, ἐκ τοῦ μὴ καλῶς ἀκοῦσαι τῆς Ὁμήρου ποιήσεως ἐξ ὠκεανοῦ τὸν ἥλιον ἀνατέλλειν καὶ εἰς αὐτὸν δύσειν ποιούσης.* Licet enim re vera haec Aristoteli tribuenda sint, ex ipsis verbis apparet eum hoc loco non contra eos pugnare, qui terram undique mari circumdatam esse opinabantur, sed potius contra eos, qui Homeri sententiam, terram flumine Oceano inclusam esse, sequebantur.[1])

Iam si quaerimus, quibus causis Aristotelem ad hanc de terra insula sententiam adductum esse existimandum sit, veri simillimum est eum et Hannonis periplo, qui ei sine dubio notus erat (cf. supra p. 14), et Herodoti narrationibus de circumnavigatione Libyae commotum esse, ut Libyam circumnavigari posse putaret. De meridionali vero Asiae ora eum certiora comperisse ex eis apparet, quae de sinu Arabico cum exteriore mari cohaerescente affert (cf. supra p. 15); accedebant ea, quae de Scylacis Caryandensis navigatione ex eius libro (cf. Polit. VII 13, 2) sciebat, quo tamen in libro de orientali Asiae ora nulla verba facta esse ex Herodoto videtur apparere, qui (IV 44) narrationem de Scylace propositam his verbis claudit: *οὕτω καὶ τῆς Ἀσίης πλὴν τὰ πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα τὰ ἄλλα ἀνεύρηται ὁμοῖα παρεχομένη τῇ Λιβύῃ.* Quomodo autem Aristoteles de orientali et septentrionali ora ad suam sententiam pervenerit, supra p. 15 ss. monuimus. Itaque dubium non est, quin eam quoque ratiocinationem adhibuerit, quam a viris doctis adhibitam esse testis est Strabo (II 5): *πανταχῇ γάρ, ὁπουποτοῦν ἐφικτὸν γέγονεν ἀνθρώποις ἐπὶ τὰ ἔσχατα τῆς γῆς προελθεῖν, εὑρίσκεται θάλαττα, ἣν δὴ καλοῦμεν ὠκεανόν. καὶ ὅπου δὲ τῇ αἰσθήσει λαβεῖν οὐχ ὑπῆρξεν, ὁ λόγος δείκνυσι κ. τ. λ.*

[1]) Iniuria igitur Bergerus hunc locum ad eam sententiam, quam Erat. fragm. p. 90 proponit, comprobandam affert.

Sequitur, ut quaeramus, quam formam hanc insulam habere Aristoteles existimaverit. Atque Herodotum quidem notum est putavisse Europam, quam Phasi flumine ab Asia dividi volebat (IV 37), longitudine quidem Asiam cum Libya coniunctam aequiperare, latitudine vero illas multo superare videri; nam Libyam totam, Asiam fere totam mari circumdatam esse, Europa contra num orientem et septentrionem versus mari allueretur non exploratum esse, sed potius his regionibus eam longe patere videri (IV 36—45). Qua de causa l. l. eos vituperat, qui Europam eadem magnitudine aestimantes, qua Asiam cum Libya coniunctam, terram habitatam rotundam describebant, quasi torno facta esset, quibus verbis eum potissimum contra Hecataei rationem terrae describendae pugnare omnibus fere nostrae aetatis interpretibus iure comprobatum est.

Sed haec Herodoti vituperatio non magnam videtur auctoritatem habuisse; potius etiam post eius tempora tabulas, quae sine dubio multae fuerunt (cf. Berger, fragm. Hipparch. p. 18), eandem speciem servavisse statuendum est. Nam Aristotelem eodem modo in eos invehentem videmus, qui temporibus eius terrae circuitus depingebant, atque isdem fere verbis, ut existimandum sit eum, cum haec scripserit, Herodoti verba ante oculos habuisse. Etenim Meteor. II 5, 13 haec sunt: *διὸ καὶ γελοίως γράφουσι νῦν τὰς περιόδους τῆς γῆς· γράφουσι γὰρ κυκλοτερῆ τὴν οἰκουμένην, τοῦτο δ' ἐστὶν ἀδύνατον κατά τε τὰ φαινόμενα καὶ κατὰ τὸν λόγον.* Hanc vero ratiocinationem (*κατὰ τὸν λόγον*), quam sequentibus verbis explicat, ex tota ratione quam de terrae globositate proposuit nasci oportebat. Antecedenti enim paragrapho a nobis expositum erat secundum Aristotelem in toto terrae globo tantummodo eas partes habitari posse, quae sint intra circulos solstitiales et circulos semper conspicuos. His igitur lineis, cum fines sint inter caeli regiones temperatas et non temperatas, latitudo terrae habitatae definitur et terminatur. Sed occidentem et orientem versus

caelum intra illas lineas nulla obstacula praebet, quibus impediat, quominus terra habitetur, ita ut cogitari possit terram habitatam in longitudinem ita patere, ut occidentalis plaga cum orientali contigua fiat, tota igitur terra habitata quasi in orbem coëat. Apparet per hanc rationem orbicularem terrae figuram stare non posse, cum latitudo terrae multo superetur longitudine. Hac igitur de causa Aristoteles eos vituperat, qui antiquam terrae describendae rationem iam ab Herodoto reiectam servabant.

Statuit autem Aristoteles, ut l. l. sequentia verba declarant, itineribus terra marique factis exploratum esse longitudinem maiore proportione latitudinem superare, quam quinque habent ad tria. Aristotelem non primum fuisse, qui hoc modo rationes terrae habitatae definire studeret, ex Agathemero cognoscimus, qui tradit[1]) Democritum primum intellexisse terram esse oblongam et sesqui longiorem quam latiorem. Aristoteles autem l. l. ipse monet his numeris illam rationem non certe exprimi, quia ex itineribus non certa coniectura fieri possit. Tum pergit l. l. § 15: *καίτοι ἐπὶ πλάτος μὲν μέχρι τῶν ἀοικήτων ἴσμεν τὴν οἰκουμένην· ἔνθα μὲν γὰρ διὰ ψῦχος οὐκέτι κατοικοῦσιν, ἔνθα δὲ διὰ τὴν ἀλέαν.* Particula *καίτοι* hanc habet vim, ut antecedenti sententiae aliam opponat, qua prior quasi coërceatur et vinciatur. Quam particulae vim si hoc quoque loco statuimus, apparet verbis modo laudatis coërceri et determinari antecedentem sententiam inter latitudinem et longitudinem terrae habitatae eandem fere rationem interesse, atque inter 5 et 3, et, nisi fallor, hic est sententiarum nexus: navigationibus et itineribus in terra factis comprobatum est inter latitudinem terrae habitatae et longitudinem illam rationem interesse, quae tamen illis numeris propter itinera, quibus debentur, non certe, sed modo probabilitate quadam exprimitur. At (*καίτοι*) auctoritas horum numerorum eo quoque minuitur, quod latitudinem quidem terrae novimus; definitur enim certis lineis, ultra quas aut propter aestum aut propter frigus habitari nequit; sed . . . Exspectamus

[1]) Agathem. geogr. inform. § 2 (geogr. gr. m. II p. 471 Müll.).

sane sequentibus verbis de longitudine terrae habitatae contrariam sententiam exprimi, scilicet ignorari quam longe terra habitata in longitudinem pateat; neque dubium est, quin haec sententia in sequentibus verbis lateat. Pergit enim Aristoteles: *τὰ δὲ τῆς Ἰνδικῆς ἔξω καὶ τῶν Ἡρακλείων στηλῶν διὰ τὴν θάλατταν οὐ φαίνεται συνείρειν τῷ συνεχῶς εἶναι πᾶσαν οἰκουμένην*, quae verba sine dubio ita explicanda sunt: sed longitudo terrae habitatae ea de causa certe definiri nequit, quia nescimus, num et occidentem et orientem versus terra habitata uque ad extremos fines cognita sit; nam si eae regiones, quas extremas novimus, re vera extremae essent, aut propter globositatem terrae eas continuas et inter se coniunctas esse, aut si mari interposito seiunctae essent, utrasque hoc mari allui oporteret. Cum autem terra habitata non videatur continua esse, sequitur, quia orientem versus ad orientalem Indiae oram nondum perventum est, eas regiones orientales, quae adhuc extremae esse videbantur, non esse extremas, sed illis locis terram habitatam longius patere. Inde autem apparet iis numeris, qui itineribus per regiones adhuc notas factis debentur, rationem inter latitudinem et longitudinem terrae habitatae certe definiri non posse; nam latitudinem multo magis, quam nobis nunc videtur, longitudine superari veri simile est.

Sphaericam igitur terrae habitatae formam Aristoteles reiecit neque dici potest, quamnam ipse ei tribuerit. Quo autem iure Mannertus coniecerit iam Aristotelem eam formam statuisse, quam posteriores, qui terrae habitatae speciem chlamydis dabant, Bergerus (Erat. fragm. p. 220 s.) exposuit, cui plane adstipulor.

Num vero Aristoteles praeter eam terram, quae veteribus nota erat, etiam alias in eadem zona temperata sitas esse opinatus sit, dici nequit. Certis autem verbis loco modo tractato (Meteor. II 5, 16 s.) eam zonam temperatam, quae ad alterum polum versus sita sit, eodem modo se habere, quo illam, et in altera globi parte zonam quandam non solum habitabilem esse, sed etiam habitari (*κἀκείνοις*) statuit.

Restat, ut quaeramus, quomodo Aristoteles terram habitatam in singulas partes diviserit. Constat enim hac de re inter veteres magnam dissensionem fuisse aliisque temporibus aliter ab iis iudicatum esse.

Apud Homerum quidem notum est in terra tantummodo duas regiones, orientalem, ubi sol oriatur, et occidentalem, ubi occidat, discerni (cf. Forbiger, l. l. I p. 6), quae partes postea Asia et Europa nominabantur. Hac autem ratione terram habitatam apud antiquissimos et rerum scriptores et poëtas divisam invenimus[1]), idque ita, ut altera pars Europa, altera Asia cum Libya coniuncta fuisse videatur. Fines autem inter utramque partem ab aliis alii statuti videntur; nam apud Aeschylum (l. l.) Phasi flumine Europa ab Asia seiungitur, cum apud Hecataeum mare internum a columnis Herculis usque ad Pontum Euxinum porrectum et orientem versus aut Tanais aut Araxes aut Caucasus fines videantur fuisse (cf. Forbiger, l. l. I p. 50).

Herodotus autem, qui ipse quoque terram habitatam in duas partes dividit, septentrionalem et meridionalem, easque Phasi et Araxe fluminibus seiunctas vult (IV 37. 40), tradit (IV 42) suis temporibus terram a nonnullis etiam in tres partes, Europam, Asiam, Libyam, dividi eaque in re dubitationem movisse quaestionem, cui parti Aegyptus tribuenda esset. Alii enim putabant Aegyptum a Syena urbe incipientem et ad Nili ostia porrectam hoc flumine ita in duas partes secari, ut altera pars Libyae, altera Asiae esset; hanc esse Graecorum sententiam; alios vero, Iones, Aegyptum nihil nisi Delta quod Nilo efficitur esse censere. Ab his Herodotus monet non in tres, sed in quattuor partes terram dividi oportere, nam ex eorum sententia Aegyptum quartam terrae partem iudicandam esse.

Inter Asiam autem et Europam variare fines Herodotus admonet, cum alii Phasi flumine, alii Tanai et Bosporo

[1]) Aeschyl. Prom. ap. Arrian. Peripl. Pont. eux. § 29 geogr. gr. m. I p. 394 Müll. Soph. Oed. Col. v. 695. Trach. v. 101. El. v. 702. Eurip. Androm. v. 658. Hecat. ed. Clausen p. 13. Pherecyd. fr. 33. fragm. hist. gr. I p. 78 Müll. Herod. IV 37. 40.

Cimmerio alteram ab altera seiungi mallent (IV 45). Illa ratio, quae, ut supra monuimus, apud Aeschylum quoque adhibita invenitur, vetustior, haec recentior videtur fuisse.[1])

Quae cum ita sint, apparet initio tantummodo in duas partes terram divisam esse, postea demum alteram quoque terrae in tres partes dividendae rationem exstitisse. Animadvertendum autem est Eratosthenem in libro suo de geographia conscripto, ubi hac de re disseruit, tantummodo posterioris divisionis rationem videri habuisse; hoc sane conicere debemus ex eo fragmento, quo hanc rem tractat (fragm. II C, 22 Berger. Strab. I 65). Dicit enim alios terrae partes fluminibus, Nilo et Tanaide, alios isthmis, et eo, qui sit inter mare Caspium et Pontum, et eo, qui sit inter mare Erythraeum et mare internum, seiunxisse. Atque hanc posteriorem quidem rationem Bergerus l. l. rectissime monet demum post Alexandrum magnum exstitisse eo tempore, quo opinio fuerit mare Caspium cum exteriore mari coniunctum esse. Hoc quidem mihi non dubium est, quin, si iam Herodoti temporibus prolata esset, hic eam commemoraturus fuerit. Hac de causa et propter infinitivum praesentis *διαιρεῖν*, qui in illo fragmento exstat, non dubium est, quin Eratosthenes illo loco de sententiis, quae ipsius temporibus proferebantur, agat. Sed ea de causa non coniciendum nobis puto illis temporibus eam rationem solam adhibitam esse, qua terra habitata in tres partes dividebatur, cum praesertim Eratosthenes omnino talem rationem utpote ineptam refutet. Potius cogitari potest alteram quoque ab eo tractatam, a Strabone vero in referenda eius sententia omissam esse, aut eam iam ab Eratosthene non commemoratam esse, sive quia de ea dissensio non erat sive quia illis temporibus minus divulgata erat, quam cuius rationem haberet. Quam autem rationem in finibus inter Europam et Asiam constituendis Hecataeus sequebatur, ea quasi elementa eius rationis contineri videntur, quae post Alexandrum magnum a geographis adhibebatur. Dicaearchus enim, Aristotelis discipulus, cuius auctoritatem Eratosthenes (cf. Berger, Erat. fr. p. 173) aliique secuti sunt, primus terram habitatam

[1]) Cf. Olympiod. ad Aristot. Meteor. I 13, 11.

recta linea a columnis Herculis per mare mediterraneum et totam Asiam ducta divisit. Verum altera illa terrae in tres partes divisio, cuius vestigia apud Herodotum ipsum invenimus[1]), omnino abici non poterat semperque adhibebatur.

Atque Aristotelem quidem hanc rationem secutum esse et terram in tres partes, Europam, Asiam, Libyam, divisisse, Olympiodorus, cuius auctoritatem Bergerus (Erat. fragm. p. 164) sequitur, his verbis auctor est (ad Meteor. I 13, 11): *ὁ Ἀριστοτέλης . . . διαιρῶν αὐτὴν* (sc. *τὴν οἰκουμένην*) *οὐχ ὥσπερ οἱ παλαιοὶ εἰς δύο, εἰς Εὐρώπην καὶ Ἀσίαν, ἀλλ᾽ εἰς τρία, εἰς Εὐρώπην, Ἀσίαν καὶ Λιβύην. τῆς γὰρ Ἀσίας διαιρεῖ τὴν Λιβύην κατὰ τὸν Νεῖλον, ὡς διακρίνεσθαι τὴν Ἀσίαν ἀπὸ Εὐρώπης μὲν κατὰ τὴν Τάναϊν, ἀπὸ δὲ Λιβύης κατὰ τὸν Νεῖλον.* Atque aperte philosophus Animal. histor. VIII 28, 7 inter tres illas partes disiungit, cum dicit: *ὅλως δὲ τὰ μὲν ἄγρια ἀγριώτερα ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ἀνδρειότερα δ᾽ ἐν τῇ Εὐρώπῃ πάντα, πολυμορφότατα δ᾽ ἐν τῇ Λιβύῃ.* Idemque dicendum est de loco qui est Meteor. I 13, 15 ss., ubi comprobare studet sententiam, ex maximis montibus oriri maxima flumina. Cuius rei exempla afferens primum agit de Asiae fluminibus, deinde Istrum affert, tertio loco Libyae flumina quaedam enumerat. Dubitari igitur nequit, quin Olympiodori et Bergeri sententia in universum quidem vera sit; sed ita, ut ab utroque profertur, non est vera. Olympiodorus enim dicit Aristotelem, aliter ac veteres, terram habitatam in tres partes divisisse, itemque Bergerus videtur censere| hanc rationem ab Aristotele solam adhibitam esse. Sed aliter res se habere videtur.

Etenim in libro, cui inscribitur 'Politica', quamquam Aristoteles ex omnibus terrae cognitae gentibus exempla petit omniumque trium terrae partium civitates affert, tamen uno tantummodo loco 'Libyae' quasi terrae partis mentionem facit, duobus contra locis, ubi totius terrae cognitae gentes barbaras cum Graecis comparat, non nisi 'Europae' et 'Asiae' rationem habet. Etenim VII 6 quaerens quales cives esse debeant, hoc facillime dicit intellecturos nos esse praeclaras

---

[1]) Herod. VII 70.

Graecorum urbes considerantes et totius terrae gentes quomodo inter se differant animadvertentes: *ποίους δέ τινας τὴν φύσιν εἶναι δεῖ (τοὺς πολίτας), νῦν λέγωμεν· σχεδὸν δὴ κατανοήσειεν ἄν τις τοῦτό γε βλέψας ἐπὶ τὰς πόλεις τὰς εὐδοκιμούσας τῶν Ἑλλήνων καὶ πρὸς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, ὡς διείληπται τοῖς ἔθνεσιν.* Certis igitur verbis monet nos, ut praeter Graecos totius terrae habitatae gentes consideremus. Tum pergit: *τὰ μὲν γὰρ ἐν τοῖς ψυχροῖς τόποις ἔθνη καὶ τὰ περὶ τὴν Εὐρώπην θυμοῦ μέν ἐστι πλήρη, διανοίας δὲ ἐνδεεστέρα καὶ τέχνης· διόπερ ἐλεύθερα μὲν διατελεῖ μᾶλλον, ἀπολίτευτα δὲ καὶ τῶν πλησίον ἄρχειν οὐ δυνάμενα. τὰ δὲ περὶ τὴν Ἀσίαν διανοητικὰ μὲν καὶ τεχνικὰ τὴν ψυχήν, ἄθυμα δέ· διόπερ ἀρχόμενα καὶ δουλεύοντα διατελεῖ. τὸ δὲ τῶν Ἑλλήνων γένος ὥςπερ μεσεύει κατὰ τοὺς τόπους, οὕτως ἀμφοῖν μετέχει. καὶ γὰρ ἔνθυμον καὶ διανοητικόν ἐστιν. διόπερ ἐλεύθερόν τε διατελεῖ καὶ βέλτιστα πολιτευόμενον καὶ δυνάμενον ἄρχειν πάντων, μιᾶς τυγχάνον πολιτείας. τὴν αὐτὴν δ᾽ ἔχει διαφορὰν καὶ τὰ τῶν Ἑλλήνων ἔθνη καὶ πρὸς ἄλληλα· τὰ μὲν γὰρ ἔχει τὴν φύσιν μονόκωλον, τὰ δὲ εὖ τε κέκραται πρὸς ἀμφοτέρας τὰς δυνάμεις ταύτας.*

Invenimus igitur Aristotelem hoc loco, quo totius terrae habitatae gentes barbaras et inter se et cum Graecis comparat, tantummodo 'Europae' et 'Asiae' gentes afferentem easque primum inter se, deinde cum Graecis, denique Graecorum gentes inter se comparantem; dividit igitur hoc loco terram habitatam in duas partes, Europam et Asiam (cf. Susemihl, Arist. Polit. II 184). Idemque dicendum est de altero loco (III 14, 3), quo eodem modo Graecis barbari et Europae barbaris Asiani opponuntur. De regali enim rei publicae forma disserens dicit apud nonnullas gentes barbaras regni imperium prope accedere ad tyrrannidem eiusque rei causam ex barbarorum animi facultatibus petit: *διὰ γὰρ τὸ δουλικώτεροι εἶναι τὰ ἤθη φύσει οἱ βάρβαροι τῶν Ἑλλήνων, οἱ δὲ περὶ τὴν Ἀσίαν τῶν περὶ τὴν Εὐρώπην, ὑπομένουσι τὴν δεσποτικὴν ἀρχὴν οὐδὲν δυσχεραίνοντες.* Apparet Aristotelem haec quoque scribentem terram habitatam in duas partes divisam ante oculos habuisse.

Eo accedit, quod in 'Politicis' cum praeter duos locos modo tractatos duobus locis 'Asiae', uno 'Europae' mentio fiat uno tantummodo loco (II 1, 13), ut iam monitum est, 'Libya' commemoratur. Sed hoc loco quamquam Aristoteles tertiae partis terrae mentionem facit, tamen monendum est cogitari posse non totam terrae partem, ut aliis locis, nomine Libyae significari, sed tantummodo eas regiones, quae extra Aegyptum sitae sint, quem usum ab Herodoto adhiberi satis constat. Sed haec explicatio ne necessaria quidem est, potius Aristotelem hoc loco non sua, sed ex alieno fonte petita proponere animadvertendum est. Non igitur philosophi, sed alienae terrae dividendae rationis vestigia illis verbis exstant.

Quae cum ita sint, extra omnem dubitationem mihi videtur positum esse, Aristotelem duas terrae habitatae dividendae rationes secutum esse. Neque vestigia ratiocinationis, qua Aristoteles in hac re ductus sit, desunt. Loco enim tractato (Polit. VII 7) inter se opponuntur *τὰ ἐν τοῖς ψυχροῖς τόποις ἔθνη καὶ τὰ περὶ Εὐρώπην* atque *τὰ περὶ τὴν Ἀσίαν.* Particula autem *καὶ* his verbis hanc habet vim, ut duorum vocabulorum, quae coniungit, posterius non tam cum priore coniungat, quam prius posteriore addito explicet. Cuius usus non difficile est multa exempla afferre. Apud Homerum (E 398) leguntur haec: *βῆ πρὸς δῶμα Διὸς καὶ μακρὸν Ὄλυμπον,* quod significat: 'ad Iovis domum, scilicet ad altum Olympum', vel 'qui est altus Olympus'; et apud Thucyd. VII 68: *ὡς δὲ ἐχθροὶ καὶ ἔχθιστοί εἰσι, πάντες ἴστε:* 'eos inimicos eosque inimicissimos esse vos omnes scite'. Ex Aristotelis vero scriptis huius usus exempla affert Bonitzius in indice suo s. *καί*, ex quibus e. g. hunc unum locum affero qui est Metaphys. VIII, 7, 2: *ὁμοίως δὲ δυνάμει καὶ οἰκία, εἰ μηθὲν κωλύει τῶν ἐν τούτῳ καὶ τῇ ὕλῃ τοῦ γίγνεσθαι οἰκίαν* i. e. 'similiter autem etiam domus potentia, si nihil eorum, quae in ea re, scilicet in materia sunt, quin domus fiat, impediat'. Coniungit igitur hoc *καὶ* duo vocabula, quorum alterum altero explicatur. Quare hoc de quo agimus loco verba significant: 'gentes, quae habitant in frigidis locis, scilicet in Europa'. Loca

igitur frigida sunt nusquam nisi in Europa; quibus cum opponat Asiam, coniciendum est eum putavisse in Asia, quo nomine hoc loco Asiam propriam cum Libya coniunctam significat, nulla nisi calida loca esse. Cui ratiocinationi suffragari videtur, quod aliis quoque locis eodem modo inter frigidas et calidas regiones Aristoteles discernit illas Europae, has Asiae propriae et Libyae tribuens. Namque Animal. histor. VIII 28, ubi comprobare studet sententiam animalia etiam secundum loca, ubi habitent, inter se differre, postquam monuit aliis locis eadem animalia inveniri, aliis non, et aliis locis eadem aliter se habere, eodem modo, quo supra homines in calidis Asiae et in Europae frigidis regionibus habitantes inter se comparati sunt, hoc loco animalibus, quae in frigidis Europae regionibus, scilicet in Illyricis, Thraciis, Epiroticis, Scythicis, Celticis, habitant, ea opponit animalia, quae in Arabia et Libya inveniuntur, hoc est in calidis regionibus. Quocum loco conferendus est alius (Part. animal. II 9), ubi similis sententia exprimitur, magnamque cum hoc loco similitudinem habent verba, quae sunt Animal. gener. V 3. His locis comparatis cum duobus illis ex 'Politicis' sumptis et supra accuratius tractatis comprobari putamus, quod supra proposuimus, Aristotelem etiam in duas partes terram habitatam divisisse et Libyam cum Asia ita, ut alteram partem efficerent, coniunxisse et hac in re caeli et temperaturae (*κρᾶσις* Animal. hist. VIII 28, 5) rationem habuisse.

Quam ad rationem Aristotelem tota sua de terra doctrina duci oportebat. Ut enim fines inter habitabiles regiones et non habitabiles secundum caeli et temperaturae differentiam constituit, ita in habitabili terra duas partes, frigidam septentrionem versus sitam et calidam meridiem versus sitam discernit.

Comparemus iam cum tota hac ratiocinatione eam rationem, qua Aristotelis discipulus Dicaearchus eiusque sectator Eratosthenes terram habitatam in duas partes diviserunt. Etenim iam antea monuimus Dicaearchum, ut Agathemeri (§ 5. geogr. gr. m. II p. 472 Müll.) verbis utar, terram habitatam non aqua, i. e. non maribus aut fluminibus, divi-

sisse, sed linea plane recta et a columnis Herculis per Sardiniam, Siciliam, Peloponnesum, Ioniam, Cariam, Lyciam, Pamphyliam, Ciliciam, Taurum Asiae montem usque ad Imaum montem ducta. Atque Eratosthenes per easdem fere regiones lineam duxit (cf. Berger, Erat. fr. III A, 2. Strab. II 67, 68). In Graecia autem hanc lineam per Athenas directam esse accuratius scimus (cf. Berger, l. l. p. 170 adn. 2), atque hac potissimum in re Aristotelis vestigia certissime apparere puto. Namque supra vidimus eum putare medium inter frigidas et calidas regiones locum Graeciam obtinere. Orientem autem versus Aristotelem aliter atque Dicaearchum et Eratosthenem fines inter frigidas et calidas regiones constituisse existimandum est, quia opinio, Taurum quasi in perpetua linea recta per totam Asiam situm esse, demum post Alexandri magni expeditionem exstitit. Tauri autem montis Aristoteles omnino non mentionem facit, cum eum afferre debuerit, ubi maximos Asiae montes enumerat (Meteor. I 13), si eum tantum iudicavisset quo terrae partes inter se dividerentur.

Sed si ea, quae proposuimus, recte sunt explicata, multo veri similius esse concedendum est Aristotelem fines inter Europam et Asiam potius ab occidente ad orientem versus, quam a septentrione ad meridiem versus determinavisse. Nam haec ratio contra ea, quae adhuc exposuimus, plane pugnaret.

Neque Olympiodori verbis supra laudatis aliter iudicare cogimur; nam ex ipsis his verbis apparere videtur eum hanc suam scientiam ex loco ipso, quem explicat, hausisse. Nam facile ex hoc loco colligere potuit Aristotelem tres terrae partes discrevisse. Qua de causa etiam suo iure Aristoteli eos fines tribuere posse sibi visus est, qui in antiquitate usitatissimi videbantur fuisse. Neque latet, cuius auctoritatem hac in re secutus sit. Namque paulo post verba Aristotelis *τούτου δ' ὁ Τάναϊς ἀποσχίζεται* explicans dicit: *Τάναϊν φησι τὸν διορίζοντα Εὐρώπην ἀπὸ Ἀσίας· περὶ οὗ φησι Διονύσιος· Εὐρώπην δ' Ἀσίης Τάναϊς διὰ μέσσον ὁρίζει.* Exstant autem haec verba in Dionysii orbis descriptione v. 14. Ipse autem Olympiodorus sibi impugnat, cum insequentibus verbis Caucasum montem Europae tribuat, qui

sane, si Tanais Europam ab Asia seiungit, Asiae, non Europae est.

Animal. generat. V 3 haec exstant: *τὰ δ' ἐν τοῖς ψυχροῖς πρόβατα τοὐναντίον πέπονθε τοῖς ἀνθρώποις. οἱ μὲν γὰρ Σκύθαι μαλακότριχες, τὰ δὲ πρόβατα τοὐναντίον πέπονθε τοῖς ἀνθρώποις· οἱ μὲν γὰρ Σκύθαι μαλακότριχες, τὰ δὲ πρόβατα τὰ Σαυροματικὰ σκληρότριχα.* Scytharum sedes a Sauromatis Aristotelis temporibus Tanai flumine ita dividebantur, ut illi occidentem, hi orientem versus habitarent (cf. Kiepert l. l.). Cum igitur Aristoteles Sauromatarum sedes in frigidis locis numeret, consequitur eum loca inter Tanaïn et mare Caspium sita Europae tribuisse.

Quae cum ita sint cumque non dubium sit, quin Aristoteles illo Politicorum loco (VII 7) de barbaris Asiae agens cum de aliis cogitaverit, tum de Persis, quorum imperium illis temporibus usque ad Caucasum et mare Caspium pertinebat, magna cum probabilitate statui posse videtur Aristotelem Caucaso monte et mari Caspio aut Herodoti imprimis auctoritatem secutum Phasi flumine et mari Caspio Asiam ab Europa divisisse. Atque etiam secundum ea, quae supra exposuimus, cum aliqua probabilitate conici potest, eum non fines natura factos statuisse, sed ipsum iam linea quadam paribus intervallis a finitore distante et per Graeciam ducta et per loca sub Caucaso sita terram habitatam in duas partes divisisse. Certe vestigia huius rationis in eius scriptis comprobavisse mihi videor neque dubium est, quin elementa huius rationis a Dicaearcho et Eratosthene excultae et perfectae ad Aristotelem eiusque rationem inter frigida et calida loca discernendi referenda sint.

Sed philosophum etiam Libyam ab Asia secernere supra monuimus; quaerendum igitur est, quos fines inter utramque partem interesse iudicaverit. Tota autem antiquitate duobus tantum modis, de quibus Eratosthenes (fragm. II C, 22 Berger, Strab. I 65) agit, illae partes terrae inter se divisae sunt, aut Nilo flumine aut isthmo, qui erat inter maria Erythraeum et internum; nam quam rationem Herodotus ut suam profert (II 17), montes Aegyptios fines esse inter Libyam et Asiam, haec nunquam usitata videtur fuisse.

Cum autem illam alteram rationem demum post Alexandrum magnum exstitisse statuendum videatur, restat sola altera, et veri simillimum est Aristotelem quoque, si modo Libyam ab Asia certis finibus dividebat, Nilum fines esse inter utramque terrae partem iudicavisse.

Quae cum ita sint, eam rationem, qua terra habitata in duas partes dividebatur, ante Dicaearchi tempora nunquam non fuisse statuendum est; Aristoteles autem primus eam via ac ratione videtur excoluisse et stabilivisse, stabilitam Dicaearcho, discipulo suo, tradidisse.

Haec habeo, quae in universum de terra habitata dicam. Sequitur, ut ad propriam chorographiam, quae dicitur, accedamus et de Europa accuratius disseramus.

De Europa.

Εὐρώπη: Ausc. phys. V 1, 5. Meteor. I 13, 9. Polit. III 9, 3. VII 6, 1. 9, 12. Anim. hist. VI 31. VIII 28, 6. 7. fragm. 348, a, 3 Heitz. (de Mundo 3).

Iam veteribus eam narrationem suspectam fuisse notum est, qua terrae pars, de qua agimus, ab Europa, regis Phoenicum filia, nomen traxisse dicitur. Herodotus iam (IV 45) illam narrationem reicit, neque vero unde nomen oriundum sit aut quis id huic terrae parti tribuerit, dicere potest. Aristotelem autem ipsum quoque hoc commentum repudiavisse consentaneum est. Si autem ea, quae in scholio in Eurip. Rhes. v. 28 conscripto exstant, re vera ad philosophum, non ad alium quendam Aristotelem referenda sint (cf. Arist. op. edit. Didot. IV p. 347), conici potest, eum in illa quae l. l. affertur 'Theogonia' hanc quaestionem tractantem etiam causam, cui nomen debeatur, inquisivisse, ut supra statuimus eum quaerere, quomodo sententia de oceano flumine explicanda sit. Verba autem l. l. haec sunt: . . *διττὰς δὲ τὰς Εὐρώπας ἀναγράφουσιν ἔνιοι, μίαν μὲν Ὠκεανίδα, ἀφ' ἧς (οὗ) καὶ τὸ ἓν μέρος τῆς οἰκουμένης κληθῆναι, καθάπερ Ἀπίων ἐν τοῖς περὶ Ἐπωνύμων καὶ Ἀριστοτέλης ἐν πρώτῳ τῆς Θεογονίας, ἑτέραν δὲ Φοίνικος.*

Si ea, quae supra de terrae habitatae forma et de ratione, qua Aristoteles videtur singulas terrae partes inter se divisisse, disseruimus, recte sunt exposita, sequitur eum putavisse Europam ab omnibus partibus mari circumdatam esse excepta ea, qua cum Asia coniuncta est, hac autem regione aut Caucaso monte aut Phasi flumine et mari Caspio Europam ab Asiam dividi eum voluisse. Unde sequeretur eum eodem modo, atque Herodotum, etiam septentrionalem Asiae partem Europae tribuisse.

Videamus iam de finibus Europae disputaturi singula.

Atque internum quidem mare, quod meridionales Europae oras alluit, iam Herodotus dicit (I 203) totum navigari, neque dubium est, quin Aristoteles accuratiorem eius notitiam habuerit. Significationes autem eius tres in genuinis philosophi scriptis inveniuntur. Prima est *ἡ ἐντὸς Ἡρακλείων στηλῶν θάλασσα* (Meteor. II 1, 12), qua mare internum ei mari quod est extra columnas Herculis opponitur finesque eius occidentales indicantur. Altera est *ἥδε ἡ θάλασσα* (Meteor. II 2, 24), quacum conferenda est tertia *ἡ παρ' ἡμῖν θάλασσα,* quam posteriorem Aristoteles (Meteor. II 2, 21) in verbis ex Platonis Phaedone (p. 113 A) sumptis affert. (In libro de mundo c. 3 nominatur *ἡ ἔσω θάλασσα.*) Quae omnes significationes et ante et post Aristotelem adhibitae sunt.

Quomodo autem mare internum ortum esset, veteres non consentiebant. Alii enim putabant id non semper fuisse, sed demum, cum pontus euxinus, qui initio undique terra circumdatus fuisset, per fretum apud Byzantium situm eruisset, factum esse; alii contra putabant id sic factum esse, ut exterius mare per fretum, quod postea erat Gaditanum, in eum locum, quem mare internum postea obtinebat, irrueret. Alia sententia erat mare internum ab omni initio fuisse sed undique terra circumdatum et postea apud columnas Herculis terram perrupisse viamque sibi in mare exterius aperuisse (cf. Forbiger, l. l. II p. 26 adn. 51. Berger, Erat. fragm. p. 63 s.).

Aristoteles autem accuratius de mari interno disserit Meteor. II 1, ubi comprobare studet totum mare fluminum modo fluere. Dicit enim (§ 12) totum mare internum secundum terrae excavationem et fluviorum multitudinem fluere. Haec verba ab Idelero (in edit. Meteor.) perverse ita explicantur, ut verba *καὶ τῶν ποταμῶν τὸ πλῆθος* cum verbis *ἡ δ' ἐντὸς Ἡρακλείων στηλῶν ἅπασα* coniungat et verbum *ῥεῖ* ad illa quoque verba referat, quamquam aperte modo ad mare internum referendum est. Etenim totus locus conferendus est cum Polybii (IV 39, 2. 7—11. 40, 5—6) et Stratonis (ap. Strab. I 49, 50) de eadem re disputationibus (cf. Berger, fragm. Erat. p. 60 ss.); atque potissimum Polybii verba magnam perspicuitatem rei afferunt. Nam duas causas esse statuit, quibus effici putat, ut palus Maeotis in Pontum, Pontus in Propontidem fluat. Altera est, quod multa flumina in paludem Maeotidem et Pontum influunt, quibus efficitur, ut aquae multitudo, quae est in his, in dies crescat et, cum abundat, per exitus natura factos effluat (l. l. 39, 7—8). Haec est eadem causa, quam Aristoteles indicat verbis: *ἡ δ' ἐντὸς Ἡρακλείων στηλῶν ἅπασα ῥεῖ κατὰ τῶν ποταμῶν τὸ πλῆθος.* Sequitur altera, quod eadem flumina illas maris interni partes, in quas se immittunt, non solum aqua, sed etiam ruderibus implent et cum ita solum maris paullatim altiorem faciant, ipsam maris partium altitudinem minuunt; quo sane fit, ut aqua ex altera parte in alteram magis fluat (l. l. 30, 9—10). Hanc autem alteram causam Aristoteles significat verbis *κατὰ τὴν τῆς γῆς κοιλότητα.* Quae verba quomodo intellegenda sint cum ex Polybii tum ex his Aristotelis ipsius verbis clare apparet: *ἡ μὲν γὰρ Μαιῶτις εἰς τὸν Πόντον ῥεῖ, οὗτος δ' εἰς τὸν Αἰγαῖον. πάντα δ' ἤδη τὰ τούτων ἔξω πελάγη ἧττον ποιεῖ τοῦτ' ἐπιδήλως. ἐκείνοις δὲ διά τε τὸ τῶν ποταμῶν πλῆθος συμβαίνει τοῦτο (πλείους γὰρ εἰς τὸν Εὔξεινον ῥέουσι ποταμοὶ καὶ τὴν Μαιῶτιν ἢ τὴν πολλαπλασίαν χώραν αὐτῆς) καὶ διὰ τὴν βραχύτητα τοῦ βάθους. ἀεὶ γὰρ ἐκεῖ βαθυτέρα φαίνεται οὖσα ἡ θάλαττα, καὶ τῆς μὲν Μαιώτιδος ὁ Πόντος, τούτου δ' ὁ Αἰγαῖος, τοῦ δ' Αἰγαίου ὁ Σικελικός· ὁ δὲ Σαρδονικὸς καὶ ὁ Τυρρηνικὸς βαθύτατοι πάντων.* Quam igitur philosophus significat *τὴν*

τῆς γῆς κοιλότητα, haec est altitudo et amplitudo singularum illarum maris interni partium, quae non eadem est; diversitas autem eius efficitur fluminibus, quae in singulas partes, in alias plura, quam in alias, fluunt et rudera immittunt.

Ea de causa palus Maeotis et Pontus euxinus maris interni partes minime altae sunt. Eandemque sententiam Stratonis verba exprimunt (l. l.): *καὶ βραχύτατα μὲν εἶναι τὰ περὶ τὸν Πόντον, τὸ δὲ Κρητικὸν καὶ Σικελικὸν καὶ Σαρδῷον πέλαγος σφόδρα βαθέα· τῶν γὰρ ποταμῶν πλείστων καὶ μεγίστων ῥεόντων ἀπὸ τῆς ἄρκτου καὶ τῆς ἀνατολῆς, ἐκεῖνα μὲν ἰλύος πληροῦσθαι, τὰ ἄλλα δὲ μένειν βαθέα.* Haec autem verba etiam perspicuitatem quandam eis verbis afferunt, quibus Aristoteles disputationem claudit, in quibus Bergerus (Erat. fragm. p. 63) haesit: *ὥςπερ οὖν καὶ κατὰ μέρος ἐκ τῶν ὑψηλῶν οἱ ποταμοὶ φαίνονται ῥέοντες, οὕτω καὶ τῆς ὅλης γῆς ἐκ τῶν ὑψηλοτέρων τῶν πρὸς ἄρκτον τὸ ῥεῦμα γίνεται τὸ πλεῖστον. ὥςτε τὰ μὲν διὰ τὴν ἔκχυσιν οὐ βαθέα, τὰ δ' ἔξω πελάγη βαθέα μᾶλλον.* Quibus de verbis Bergerus l. l. hanc habet sententiam: dass hier nicht von hohen Bergen die Rede sei, wie I 13, 14f., sondern dass thatsächlich an eine Erhabenheit des Nordpols gegen den Südpol gedacht ist, zeigt der Gegensatz *καὶ κατὰ μέρος ἐκ τῶν ὑψηλῶν — οὕτω καὶ τῆς ὅλης γῆς ἐκ τῶν ὑψηλοτέρων.* Die Annahme stammt aus der alten Lehre von der Senkung der Erdscheibe nach dem Südpole des Himmels und wird von den Commentatoren und Epitomatoren und anderen wunderlich verzerrt und gemissbraucht. His de causis hanc et insequentem paragraphum Aristoteli abiudicandas censet. Neque vero ita statuere nos oportet, si Aristotelem idem atque Stratonem discipulum eius sensisse statuimus, plurima et maxima flumina a septentrione et oriente fluere. Si igitur verba *τῶν πρὸς ἄρκτον* iam in priore sententiae parte post verba *ἐκ τῶν ὑψηλοτέρων* animo addimus, locus nullam praebet offensionem. Namque hic iam est sententiarum nexus: cum multa flumina ex regionibus septentrionalibus in mare internum se immittant, consentaneum est imprimis septentrionales eius partes et aqua et

ruderibus impleri eaque de causa minorem habere altitudinem; eo fit, ut maris fluentum in eisdem partibus maximum sit maximeque appareat. In verbis autem *ὥςτε τὰ μὲν διὰ τὴν ἔκχυσιν οὐ βαθέα, τὰ δ' ἔξω πελάγη μᾶλλον* paludem Maeotidem et Pontum Euxinum ab eis maris interni partibus discernit, quae extra illas sitae sunt, eodem modo quo supra dixerat *ἡ μὲν γὰρ Μαιῶτις εἰς τὸν Πόντον ῥεῖ, οὗτος δ' εἰς τὸν Αἰγαῖον. πάντα δ' ἤδη τὰ τούτων ἔξω πελάγη ἧττον ποιεῖ τοῦτ' ἐπιδήλως.* Paragraphum igitur 14 nullam puto praebere offensionem; sed insequentem ab Aristotele abiudicandam esse plane cum Bergero consentio; atque sine dubio interpreti cuidam tribuenda est verba *τῆς ὅλης γῆς* ad totum terrae globum referenti, cum potius philosophus montes septentrionem versus sitos, unde multa flumina orerentur, opponere vellet eis terrae regionibus propter flumina in eas se immittentia altioribus (*ἐκ τῶν ὑψηλοτέρων*), unde maris interni partes septentrionales fluere inciperent.

Quae cum ita sint, exspectamus Aristotelem secundum hanc quam explicavimus rationem censuisse mare internum per fretum Gaditanum in exterius mare fluere et hoc ipsum profundius esse, quam mare internum. Neque dubito, quin hanc habuerit sententiam, eamque latere puto in verbis, quae sunt l. l. § 14: *τὰ δ' ἔξω στηλῶν βραχέα μὲν διὰ τὸν πηλόν, ἄπνοα δ' ἐστὶν ὡς ἐν κοίλῳ τῆς θαλάττης οὔσης.* Quae verba cum proxime sequantur sententiam, mare internum occidentem versus profundum et profundum magis fieri et profundissimas eius partes maria Sardoum et Tyrrhenum esse, ita explicanda puto, quasi Aristoteles dicere velit: quamquam mare internum per fretum Gaditanum in exterius mare se immittat idque ea de causa profundum esse exspectandum est, tamen breve est propter lutum.

Quae si recte exposita sunt, non minore probabilitate conicere possumus Aristotelem eandem sententiam habuisse, quam Strato apud Strabonem l. l. de origine maris interni proponit. Putat enim Pontum Euxinum initio lacum terra undique circumdatum fuisse et postea demum aquam suam fluminibus auctam per Bosporum Thracicum eiecisse eodem-

que modo mare internum isthmum, quo initio Libya et Hispania coniunctae fuerint, perrupisse.

Supra monuimus ex significatione *ἡ ἐντὸς Ἡρακλείων στηλῶν θάλασσα* consequi Aristotelem, ut omnes veteres, mare internum occidentem versus columnis Herculis terminavisse. Atque orientem quoque versus philosophum ei eundem ambitum tribuisse, qui per totam antiquitatem a plerisque ei tribui solebat, ex loco modo accuratius tractato clare apparet, cum de mari interno agens etiam paludis Maeotidis et Ponti Euxini rationem habeat. Neque enim de hac re omnes consentiebant, cum alii putarent mare internum modo ad Hellespontum porrectum esse (cf. Forbiger l. l. II p. 14 adn. 28); aliusque sententiae vestigia apud Strabonem (II 126 § 25) mihi videntur exstare, qua palus Maeotis non pars interni maris putabatur, sine dubio quia longe septentrionem versus porrecta esse credebatur. Tale aliquid in verbis *τῆς καθ' ἡμᾶς θαλάττης . . βορειότατον δὲ τὸ τοῦ Βορυσθένους [στόμα]· εἰ δὲ καὶ τὴν Μαιῶτιν προστιθείη τῷ πελάγει τις (καὶ γάρ ἐστιν ὡς ἂν μέρος) τὸ τοῦ Ταναΐδος* latere puto.

Aptissimus hic videtur locus de singulis maris interni partibus quas quidem Aristoteles commemoret disserendi. Atque Strabo id in duas partes principales dividit, quarum altera sita est a columnis Herculis usque ad eam regionem, quae est inter Siciliam et Carthaginem, altera inde usque ad orientales fines; quam posteriorem ipsam in duos sinus discedere ait, quorum alter sit Pontus Euxinus, alter mare Aegyptium cum mari Pamphylio et Issico coniunctum.

Atque prioris quidem partis Aristoteles tantummodo S a r d o u m et T y r r h e n u m maria commemorat,

Sardoum mare: Meteor. II 1, 13 [de mundo 3];

Tyrrhenum mare: Meteor. II 1, 13 fragm. 567 R [Mirab. ausc. 93. 105. 130].

Atque Meteor. l. l. haec maria inter singulas interni maris partes extremas occidentem versus sitas enumerat; coniciendum igitur est illis nominibus eas quoque partes Aristotelem significavisse, quas Strabo l. l. maria Libycum, Ibericum, Gallicum, Ligusticum vocat, quae significationes apud Strabonem primum videntur inveniri. Atque ab Eratosthene quidem

totam maris interni partem eam, quae est intra columnas Herculis et Sardiniam, 'mare Sardoum' appellatam esse constat; 'Tyrrhenum' autem eam partem vocabat, quae est inter Sardiniam et Siciliam (cf. Plin. n. h. III § 75).

Sardoi maris iam Herodotus (I 166) mentionem facit, cum Tyrrheni maris prima notitia apud Thucydidem (VI 62) inveniatur;[1]) et aperte Thucydides hoc nomine id mare appellat, quod septentrionalem Siciliae oram alluit; atque quod Aristoteles (Meteor. l. l.) Sardoum mare ante Tyrrhenum enumerat, inde videtur apparere eum mare inter Sardiniam et Libyam situm Sardoum vocare, Tyrrhenum autem idem, quod Thucydides ita appellat, quae sententia verbis fragmenti supra laudati comprobatur: . . *εἰς τὸν τόπον τοῦτον τῆς Ὀπικῆς, ὃς καλεῖται Λάτιον ἐπὶ τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει κείμενος.*

Has vero maris interni partes ex Aristotelis sententia esse profundissimas supra monuimus, quam ad sententiam dubitari potest utrum sola ratione, quam l. l. exponit, an certis nautarum nuntiis pervenerit. Posidonius vero idem sentiens altitudinem Sardoi maris 1000 orgyiarum esse dicit et emensionum quarundam mentionem facit (ap. Strab. I 53).

Sardoo mari **mare Siculum** contiguum est: Meteor. II 1, 13. Animal. hist. V 8, 3 (de Mundo 3). Quo nomine Thucydides (IV 24) eam partem maris interni significat, quae orientalem Siciliae et meridionalem Italiae oram alluit, cum Strabo l. l. omnino eam maris regionem ita vocari velit, quae sit inter Siciliam et Peloponnesum atque ad Cretam usque patet, sine dubio Eratosthenem secutus, qui mare inter Siciliam et Cretam situm ita appellat (Plin. III § 75). Sed neque Thucydidis, qui freto Siculo maria Tyrrhenum et Siculum inter se coniungi putat, neque Aristotelis verba prohibent, quominus utrumque hunc idem atque Eratosthenem de Siculi maris amplitudine censuisse coniciamus.

Adriaticum autem mare commemoratum invenimus Animal. hist. VIII 13, 4 (Mirab. ausc. 79, 81, 104, 105. de Mundo 3), ubi Aristoteles Istri fluminis partem in id fluere dicit. Quo loco apparet Adriatici maris significationem ad intimum sinum inter Italiam et Illyriam situm pertinere, cumque hic unus sit locus, ubi huius maris mentionem facit, dolendum est, quod nullo modo ex ipsius verbis certe conici potest, quam longe Adriaticum mare patere iudicaverit. Neque enim hoc de ullo ante Strabonem scriptore affirmari potest, cum hic primus certos fines, Acroceraunios montes, inter Adriaticum et Ionium mare statuat. Etenim Hecataeus et Herodotus, apud quos primos 'Adriae' significationem invenimus, eam non ad sinum maris interni, quem nos ita vocamus, videntur referre. Atque Hecataeum quidem constat totum hunc sinum nomine 'Ionii maris' significare, cum (fr. 59 Müll.) Istros gentem ad Ionium sinum habitantem vocet; inde veri simile fit eundem fr. 58 M., ubi Hadriae urbis et sinus 'Adriae' prope illam siti et fluminis eodem nomine appellati mentionem facit, de parvo quodam apud Adriam urbem sinu, non de toto mari quod nunc vocamus Adriaticum cogitare. Apud Herodotum autem, qui Epidamnum urbem ad Ionium mare sitam appellat (IV 127), nullo loco significationem 'Adriae' ad mare aliquod referre cogimur, potius uno loco (I 162) aptius ad regionem quandam Italiae referri videtur. Porro Thucydides, cum dicat (I 24) Epidamnum urbem sitam esse ad dexteram navigantis in Ionium sinum, aperte totum mare inter Italiam et Graeciam situm Ionium appellat. Theopompus igitur et Scylax qui dicitur et Aristoteles, qui eodem fere tempore fuerunt, primi sunt, apud quos 'Adriae' significatio ad mare inter Italiam et Graeciam situm aut ad septentrionalem eius partem referri possit. Theopompum quidem scimus ex Strabone (VII 317) originem nominis maris Adriatici ab Adria flumine repetivisse; Scylax autem qui dicitur (peripl. §§ 14. 27. pp. 23. 34 Müll. geogr. gr. m. 1) diserte dicit mare Adriaticum et Ionium idem esse. Quae cum ita sint, iure interpretes statuere videntur apud tres hos, quos extremo loco attulimus, primos inveniri sinus Adriatici notitiam.

Quam autem de hac re Aristoteles videatur habuisse certiorem sententiam, aliqua probabilitate ex eis locis conici

---

[1]) Iniuria igitur Smith (A dictionary of Greek and Roman Geography etc. 1873 s. Tyrrhenum mare) primam huius maris mentionem fieri apud Scylacem qui dicitur contendit.

potest, quibus Ionii maris significationem adhibet: Polit. IV 3, 8. VII 9, 3. Priore enim loco Apolloniam, urbem Illyriae, *ἐν τῷ Ἰονίῳ* sitam vocat, posteriore autem auctor est Chonas, gentem Oenotrorum, incoluisse *τὸ πρὸς τὴν Ἰαπυγίαν καὶ τὸν Ἰόνιον, . . . τὴν καλουμένην Σῖριν.* Calabriam igitur et Lucaniae partem intellegit. Quae cum ita sint, Aristotelem aut eundem significandi usum adhibuisse, quem Scylax qui dicitur l. l. statuit, aut maris inter Italiam et Graeciam siti partem septentrionalem appellavisse mare Adriaticum, meridionalem mare Ionium coniciendum est. Certius aliquid affirmari nequit.

Mare Siculum orientem versus tangit mare Aegaeum (Meteor. II 1, 12. 13. Anim. hist. VIII 13, 2. [Probl. XIII 6.]). Atque Strabo quidem (l. l. § 21) cum hoc mari Hellespontum ut partem eius coniungit, Propontidem autem aliud mare intellegit (l. l. § 22). Verum secundum eum locum qui est Meteor l. l. Aristoteles et Propontidem et Hellespontum Aegaeo mari tribuere videtur, cum Pontum dicat fluere in Aegaeum mare, quamquam An. hist. l. l. hoc mare a Propontide secernit dicens coliarum plerasque in Propontide aestivare, in Aegaeo mari hiemare, ut iam Herodotus (IV 85) diserte Bosporum Thracicum a Propontide, hanc ab Hellesponto, Hellespontum ab Aegaeo mari secernit. Sed Eustathius (ad Dionys. 142) testis est veteres in his interni maris partibus dividendis non consensisse, quamquam secundum eius verba ab omnibus quidem Aegaeum mare dividebatur ab Hellesponto, Propontide, Bosporo Thracico, quae maria alii alio modo in unum coniungebant. Novi igitur usus vestigia apud Aristotelem exsistere videntur.

Singularum autem maris Aegaei partium apud eum nulla mentio fit.

Hellespontus commemoratur his locis: Meteor. II 8, 8. Animal. hist. V 16, 4. 17, 5. VI 13, 6. (Problem. XVI 56), unde docemur loca circa eum sita non esse aspera, sed levia, vento autem et frigore oppressa, unde fiat, ut ventus ex his locis ortus, qui Hellespontias vocatur, humiditatem secum ferat (Meteor. l. l. cf. de signis fragm.).

Cum Propontide (Anim. hist. VIII 13, 2. 6. [de mundo 3])

Pontus Euxinus coniunctus est Bosporo Thracico, cuius haec significatio apud Aristotelem non invenitur; sed philosophus eum *τὸν Βόσπορον* vocat (Meteor. I 14, 30. III 2, 6. Anim. hist. VIII 15, 4); idem usus apud Aeschylum (Pers. vv. 723. 746) et apud Herodotum (IV 85) invenitur. Atque primo loco laudato philosophus de fluento Bospori disserit; quo eum adeo limo impleri, ut eum denique in fluminis speciem abire oporteat. Atque potissimum sub Caniculae ortum fluctuationem eius apparere, ubi simul cum limo pisces in eo abditi sursum ferantur (Anim. hist. l. l.).

Pontus Euxinus: Polit. V 4, 2. V 5, 2. 5. 7. 10. VII 5, 7. VIII 3, 4. Eth. Nic. VII 5, 2. An. hist. IV 2, 1. 3, 2. V 10, 5. 22, 8. VI 12, 1. 13, 3. 6. 17, 5. VIII 12, 1. 3. 13, 2. 3. 6. 17, 2. 19, 4. 20, 15. 25. 28, 3. 4. IX 50, 6. An. gener. III 6. V 3. Part. anim. IV 5. 8. Meteor. I 10, 6. 7. 12, 18. 13, 19. 29. II 1, 12. 13. 8, 18. [de Mundo 3. Mir. ausc. 18. 63. 104. 105. Oecon. II 2, 3. 8. 10. Probl. XIV 2. XXIII 6. XXV 6].

Omnibus locis, ubi eius mentio fit, nominatur *ὁ Πόντος*, exceptis duobus (Meteor. I 13, 19. Polit. V 2, 11), ubi *ο Εὔξεινος πόντος* vocatur; uno loco (Meteor. II 1, 13) brevis significatio *ὁ Εὔξεινος* adhibetur. Sed Meteor. I 13, 29 philosophus eum appellat lacum sub Caucaso situm et re vera mons ad ipsam lacus oram orientalem procurrit et Strabo (XI 497) testis est totam oram a Sindis usque ad Dioscuriam sub Caucaso sitam esse. Cum autem Aristoteles l. l. dicit ab accolis Pontum significari ‘mare’, aperte ad barbaram quandam Ponti significationem respicit. Propter fluentum autem non magna altitudine utitur (Meteor. II 1, 12. 13), cuius rei causa, ut supra expositum est, multitudo fluminum est, quae in Pontum se immittunt, quorum numerum Apollodorus (ap. Strab. VII 298) dicit esse circa quadraginta (cf. Neumann et Partsch, Physikal. Geogr. von Griechenl. p. 142). — Loca autem circa Pontum sita frigore et aëris humiditate opprimi Aristoteles commemorat Anim. hist. VIII 20, 15 et Anim. gener. V 3. Multis autem locis abundantiae piscium, qua Pontus utatur, mentionem facit.

Pontus coniunctus est Bosporo Cimmerio (Animal. hist. V 19, 14. [Oec. II 2, 8]) cum Palude Maeotide (*ἡ Μαιῶτις*

λίμνη Meteor. I 13, 16. 14, 29. Anim. hist. IX 36, 5. ἡ Μαιῶτις Meteor. II 1, 12. 13. 5, 14).

Plinius (VI 20) auctor est accolas paludem vocavisse Temarundam, quo nomine significaverint matrem maris, quae significatio sine dubio inde orta est, quod Maeotis in Pontum influit; de quo fluento quid Aristoteles senserit supra accuratius exposuimus. Putabat autem Maeotidem, ut plurimas paludes, fluminibus factam esse, quibus eam limo adeo impleri dicit, ut ipsius temporibus multo minores naves eam intrare possint, quam sexaginta annis ante; neque dubium esse, quin futurum sit, ut aliquando omnino exsiccetur (Meteor. I 14, 29). Quod autem ad magnitudinem Paludis attinet, notum est et supra monitum per totam antiquitatem sententiam fuisse eam septentrionem versus longe patere, neque est, cur Aristotelem aliter iudicavisse statuamus, cum praesertim apud Scylacem qui dicitur aequalem fere Aristotelis legamus (§ 69 Müll.): . . τῆς ἡμίσεος μέρους τοῦ Πόντου ὄντος ἴσου τῆς Μαιώτιδος λίμνης. — De forma autem eius et situ non semper veteres consensisse ex Strabone (II 107) cognoscimus, qui Polybii sententiam affert Tanain flumen ab ortu aestivali fluere; quam opinionem reiciens omnes dicit illorum locorum peritos statuere flumen a septentrione ita fluere in Maeotidem, ut et fluminis et paludis ostia nec non flumen ipsum, quoad notum sit, in eadem linea meridiana sita sint. Ex hac Strabonis disputatione apparere mihi videtur Polybium non solum flumen ab ortu aestivali fluere iudicavisse, sed etiam paludi ipsi veriorem situm, quam Strabo vult, tribuisse; quod fere per se ipsum intellegitur, quia ea fluminis pars, quae in ipsam paludem influit, nihil nisi palus ipsa quasi producta est. Polybium igitur veriorem de paludis situ opinionem habuisse non sine aliqua probabilitate conicere possumus. Neque vero Aristotelem, utpote quem infra accuratius explicemus iudicavisse Tanain ab oriente fluentem in paludem se immittere, hac de causa minore iure statuere poterimus veriorem de paludis situ opinionem habuisse.

Haec hactenus de interno mari, quod meridionales oras Europae alluens hanc a Libya dividit. Occidentalis autem orae Aristotelem modo exiguam notitiam habuisse per se

ipsum intellegitur, cum Pytheas primus Graecorum notitiam eius orae auxerit. Sed aliquam etsi vagam opinionem de illis terrae plagis etiam ante Pytheam et antiquissimis quidem temporibus fuisse ex eis constat, quae apud Homerum, Hesiodum, Herodotum de fortunatis insulis, de Eridano flumine et Erythia insula et Tartesso legimus, et constat iam ante Herodotum Hecataeum accuratiorem quandam occidentalis terrae regionis notitiam habuisse, quae cum Phoenicum et Carthaginiensium, tum Graecorum ipsorum, ut Phocensium (Herod. I 162), navigationibus effecta erat (cf. Strab. III 150 XVII 802). Tamen non mirabimur, quod etiam Aristotelem eam de maris exterioris natura sententiam proferentem videmus, quam constat Carthaginiensium et Phoenicum avaritia fictam et pervulgatam esse. Etenim Meteor. II 1, 14 haec sunt: τὰ δ᾽ ἔξω στηλῶν βραχέα μὲν διὰ τὸν πηλόν, ἄπνοα δ᾽ ἐστίν, ὡς ἐν κοίλῳ τῆς θαλάττης οὔσης, quae verba quomodo explicanda sint, supra exposuimus; neque dubium est, quin ad illas narrationes a Phoenicibus et Carthaginiensibus de exteriore mari fictas referenda sint. Cur autem Bergerus (Erat. fragm. p. 63) in eis haereat, non intellego; idem enim etiam Scylax qui dicitur (p. 93 Müll.) affert: τῆς Κέρνης δὲ νήσου τὰ ἐπέκεινα οὐκέτι ἐστὶ πλωτὰ διὰ βραχύτητα θαλάττης καὶ πηλὸν καὶ φῦκος. Haec vero verba non ita sunt explicanda, ut Vossius (ap. Müllerum l. l.) vult, scilicet ut putemus Scylacem rationem geographorum eorum imitari, 'qui cum ad ea devenissent, quorum nullam haberent cognitionem, ut ignorationem suam hac in parte excusarent, nescio quae non absurda fingebant loca aestu et frigore exusta, feris plena, vastis obsita montibus, insuper alga, coeno, variisque monstrorum generibus referta'. Quae quidem de aliis eiusmodi narrationibus suam habent auctoritatem, sed inde, quod eadem fere cum Aristoteles, Scylacis fere aequalis, tum Theophrastus (Histor. plant. IV 7) narrat, ubi dicit: γίνεται δὲ (τὸ φῦκος) ἐν μὲν τῇ ἔξω τῇ περὶ Ἡρακλείας στήλας θαυμαστόν τι τὸ μέγεθος, ὥς φασι, καὶ τὸ πλάτος μεῖζον ὡς παλαιστιαῖον, inde, dico, mihi consequi videtur hanc de occidentali mari sententiam Carthaginiensibus et Phoenicibus debitam Aristotelis temporibus omnibus

comprobatam fuisse; nulla igitur est causa, cur cum Bergero in Aristotelis verbis supra laudatis haereamus.

Herodotum autem notum est confiteri occidentalis Europae regionis se nullam habere certiorem notitiam; neque enim Eridanum flumen neque Cassiterides insulas se novisse (III 115). Et ne Aristotelis quidem harum regionum notitiam maiorem fuisse censendum est. De columnarum quidem Herculis situ eius temporibus iam nemo dubitabat, quippe quae iam Herodoti temporibus omnibus notae essent. Neque dubium est, quin etiam orae Gaditanae etsi vagam habuerit scientiam, cuius vestigia cum in ipsius scriptis iis locis exstant, ubi de regionibus extra columnas Herculis sitis agit, tum etiam apud Strabonem (III 153) inveniuntur, cuius verba ex Krameri coniectura restituta haec sunt: *ὑψηλὸν δ' ἐστὶ τὸ ἑωθινὸν καὶ τραχύ, ἡ δὲ ὑποκειμένη χώρα πεδιὰς πᾶσα καὶ μέχρι θαλάττης πλὴν ὀλίγων ὀρῶν οὐ μεγάλων. ᾗ δὴ καὶ τὸν Ἀριστοτέλη φησὶν ὁ Ποσειδώνιος οὐκ ὀρθῶς αἰτιᾶσθαι τὴν παραλίαν τῆς Ἰβηρίας καὶ τῆς Μαυρουσίας τῶν πλημμυρίδων καὶ ἀμπώτεων· παλιρροεῖν γὰρ φάναι τὴν θάλατταν διὰ τὸ τὰς ἄκρας ὑψηλάς τε καὶ τραχείας εἶναι, δεχομένας τε τὸ κῦμα σκληρῶς καὶ ἀνταποδιδούσας· τἀναντία γὰρ θινώδεις εἶναι καὶ ταπεινὰς τὰς πλείστας, ὀρθῶς λέγων.* Ante haec verba cum Strabo de ea Iberiae ora agat, quae est inde a Tago flumine septentrionem versus, Aristotelem huius orae accuratiorem notitiam habuisse conici possit. Hoc autem non veri simile videtur, quia harum regionum accuratiorem cognitionem Graeci certe demum post Pytheae navigationem adepti sunt. Tota autem Aristotelis quam Strabo affert ratiocinatio, qua putabat accessum maris et recessum inde oriri, quod Iberiae et Mauretaniae orae mare altera ad alteram repercuterent, per se ipsa aptius refertur ad oram inter columnas et sacrum promontorium sitam, quippe quae ipsi Mauretianae orae opposita sit. Et ad hanc quoque oram Posidonii verba extrema quadrare Strabo (p. 143) ipse docet, cum dicit: *ἅπασα γάρ ἐστι πεδιὰς ἡ ὑπὲρ τῆς παραλίας ἐπὶ πολὺ τῆς μεταξὺ τοῦ τε Ἱεροῦ ἀκρωτηρίου καὶ στηλῶν.* De eadem ora paullo post etiam haec affert: *αἱ δ' ἐπιβάσεις μείζους εἰσὶν ἐνταῦθα ἢ ἐν τοῖς ἄλλοις τόποις, ὅτι εἰς πόρον συνωθουμένη στενὸν ἡ θάλαττα ἐκ μεγάλου πελάγους, ὃν ἡ Μαυρουσία ποιεῖ πρὸς τὴν Ἰβηρίαν, ἀνακοπὰς λαμβάνει καὶ φέρεται πρὸς τὰ εἴκοντα μέρη τῆς γῆς εὐπετῶς,*

quibus de hac ora comprobantur ea, quae de occidentali Iberiae ora Aristoteles proposuisse dicitur. Haec igitur non necessario ad occidentalem Iberiae oram referuntur. Tamen Aristotelis temporibus Graecos aliquam eius orae notitiam habuisse inde coniciendum est, quod iam Ephorus (fr. 41 Müll. fr. hist. Gr. I p. 244) sacri promontorii mentionem fecisse videtur. Qui autem hoc promontorium noverat, eum censendum est hoc quidem scivisse occidentalem Iberiae oram septentrionem versus porrectam esse.

Quae cum ita sint, certiorem Aristotelis notitiam orae Ibericae occidentem versus vix ultra Baetin flumen, cuius mentionem facit, et Gaditanam urbem patuisse iudicandum est; Anam enim flumen non commemorat. Unde statim hoc, quod supra monuimus, apparet eum et de vera Hispaniae forma et de septentrionali Europae ora aut incertam aut nullam habuisse opinionem, id quod non minus de orientali terrae ora dicendum est. Nam ut iam Herodotus dixerat non constare num Europae orientalis aut septentrionalis pars mari circumdata esset (IV 45), ita Polybius quoque (III 38): *τὶ μεταξὺ Ταναΐδος καὶ Νάρβωνος εἰς τὰς ἄρκτους ἀνῆκον ἄγνωστον ἡμῖν ἕως τοῦ νῦν ἐστιν.*

Iam ad singula transeuntibus nobis primum quaerendum est, quas Europae gentes et terras Aristoteles novisse et inter se discernere videatur.

Atque per se ipsum quidem intellegitur et locus supra tractatus (Polit. VII 7) testis est eum, ut omnes Graecos, barbaras gentes a Graecis seiunxisse. Et supra vidimus eum Europae barbaras gentes fortiores, quam Asiae, censuisse et libertatis studiosiores, sed cogitationis inaniores atque minus aptas, quae aut ipsae re publica bene administrata utantur, aut alios imperio suo subiciant et regant (cf. Polit. III 14).

De barbaris igitur Europae iam disserentibus dux nobis sit imprimis locus, qui est Polit. VII 2, ubi quaerens, quae ratio vivendi sit optabilior, utrum civilis an philosophica, quasdam dicit gentes legibus admoneri, ut non solum pro-

priam rem publicam bene administrent, sed etiam in finitimos dominari studeant, ut Lacedaemonios et Cretenses. Tum affert Scythas, Thraces, Celtas, Macedones, Iberos. Animal. hist. VII 28 praeter Thraces, Scythas, Celtas commemorat Illyrios et Epirotas.

Quibus gentibus si addimus Italiae gentes, quarum alio loco mentionem facit, omnes habemus barbaras gentes, quas Aristoteles affert; nam ut duobus his locis clare apparet eum Epirotas, quos Strabo quidem (VII 321) aperte barbaris adnumerat, et Macedones in barbarorum numero habuisse, ita statuere possumus eum Thessalos, quorum monendum est in genuinis quae exstant scriptis nusquam neque nisi in fragmentis quibusdam et nonnullis mirabilium auscultationum locis mentionem fieri, Graecorum loco habuisse.

Sunt igitur barbarae gentes, de quibus disserendum est, hae: Iberi, Celtae, Scythae, Italiae gentes, Illyres, Thraces, Macedones, Epirotae.

De Iberia.

ἡ Ἰβηρία: Animal. gener. II 8 (Mirab. ausc. 46. 87. 88. 133. de Mundo 3).

οἱ Ἴβηρες: Polit. VII 2, 6 (Mirab. ausc. 85. 88).

Priusquam ad rem ipsam tractandam adgrediamur, monendum est demum Polybii temporibus Graecos et Romanos accuratiorem quandam notitiam occidentalium Europae regionum nactos esse (cf. Strab. II 93).

Iam quaerentibus nobis, cui regioni Aristoteles Iberiae nomen dedisse videatur, primum statuendum est Herodotum hoc nomine alteram orae Hispaniae partem nominare, alteram circa columnas Herculis et ultra eas sitam Tartessum. Id indicare nobis videntur verba quae sunt I 163: *οἱ δὲ Φωκαιέες κ. τ. λ.*, quae ita intellegenda sunt, ut singulas orae maris interni partes ab Adriatico inde mari usque ad mare circa columnas Herculis et extra eas situm significent. Nam Tartessum extra columnas sitam esse dicit IV 152. Eo autem,

quod Herodotus l. l. Tartessum nominat *ἐμπόριον*, non cogimur urbem intellegere; potius Hecataeus (fr. 4 Müll. *Ἐλιβύργη πόλις Ταρτησσοῦ*) aperte regionem maritimam ita vocat. Iberos autem septentrionem versus usque ad Massiliam fere habitare Herodotum iudicavisse inde apparet, quod (VII 165) singulas gentes ita enumerat: ... *Φοινίκων καὶ Λιβύων καὶ Ἰβήρων καὶ Λιγύων καὶ Ἐλισύκων*, cum Ligyes supra Massiliam habitavisse alio loco (V 9) auctor sit. Strabo autem (III 148) eam regionem, quae intra duo Tartessi fluminis ostia fuerit, Tartessida tradit vocatam esse; atque Eratosthenes (ap. Strab. l. l.) loca circa Calpen urbem sita Tartessida vocari statuit, qua in re sine dubio Pytheae auctoritatem secutus est. Polybius contra (III 37) oram Hispaniae orientalem a Pyrenaeis usque ad columnas Herculis Iberiam vocari testis est. Herodoti igitur et Eratosthenis nec non Polybii temporibus Iberiae significationem ad orientalem Hispaniae oram relatam esse, significatione autem Tartessi aliam orae partem nominatam esse coniciendum est, atque eam quidem, quae inde ab Herculis columnis occidentem versus porrecta est.

Quae cum ita sint, vel per se ipsum intellegi videtur eundem usum Aristotelis quoque temporibus fuisse. Id sane statuendum est Aristotelem quoque Iberiae significationem modo ad eam Hispaniae oram, quam noverat, ad orientalem potissimum, rettulisse. Ita etiam intellegendum est, quod dicit (Anim. hist. VIII 28, 5) Celticen sitam esse *ὑπὲρ τὴν Ἰβηρίην*, i. e. ultra Iberiam; ita enim, cum in Graecia scriberet, dicere non potuit, nisi Celticen occidentem versus ultra Iberiam sitam esse iudicavisset et Iberiae nomine nonnisi oram Hispaniae orientalem significavisset. Tartessi quidem regionis mentionem non facit, sed Meteor. I 13, 19 affert Tartessum flumen ex Pyrenaeo monte oriri et extra columnas in mare se immittere. Huius fluminis notitiam iam apud Stesichorum invenimus, qui Eurytionem canit prope Tartessum flumen natum esse e regione Erythiae insulae in antro (cf. Strab. III 148). Contra Pherecydes (fr. 33 Müll.) Tartessum videtur urbem intellegere; ab Herodoto item atque ab Hecataeo orae Hispaniae regionem quandam ita appellari supra monuimus. Quae

cum ita sint, aptissime se habet opinio, quam ipsius temporibus fuisse Strabo (III 148) tradit intra duo Tartessi fluminis ostia prioribus temporibus urbem fuisse, quae eodem Tartessi nomine vocata sit, et regionem eam, in qua ipsius temporibus Turduli habitent, Tartessidem nominatam esse.

Iam etiam Aristotelis temporibus non solum Tartessi fluminis significationem adhibitam esse iudicare non dubitabimus, sed etiam, quamquam illa sola in eius scriptis invenitur, regionis Tartessidis et Tartessi urbis. Cui toti ratiocinationi quodammodo suffragantur, quae leguntur Schol. vet. in Hesiod. Theog. v. 275: *ἐσχατιῇ πρὸς νυκτός, ἵν' Ἑσπερίδες λιγύφωνοι: διὰ τοῦτο ταύτας καλεῖ, διότι κατὰ μουσικὴν ἁρμονίαν οἱ ἀστέρες κινοῦνται περὶ τὰ Γάδειρα ὡς Ἀριστοτέλης φησί.* Quod fragmentum ad quem Aristotelis librum referendum sit, hic non est disputandi locus (cf. edit. Didot. IV p. 76). Apparet autem Aristotelem Hesperidarum hortos circa Gades urbem posuisse (cf. Strab. III 148 s.).

De Erythia igitur insula, ex qua Herculem vaccas illas egisse Aristoteles affert (Meteor. II 3, 41), sine dubio eandem sententiam habuit, quam Herodotus (IV 8).

Omnes hae significationes postea quidem abiectae sunt atque aliae in usum venerunt; neque vero dubium est, quin fluminis significatio ad Baetin flumen referenda sit, cum praesertim Strabo l. l. testis est ita ab ipsius aequalibus hanc significationem explicatam esse. Dicit enim: *ἐοίκασι δ' οἱ παλαιοὶ καλεῖν τὸν Βαῖτιν Ταρτησσόν.* Dubitatio autem iam veteribus videtur de regione et urbe orta esse: nam duas sententias Strabo affert, alteram eam, quam supra attulimus, alteram Eratosthenis, qui dicebat regionem circa Calpen urbem vocatam esse Tartessida, quacum sententia aperte congruit, quod Strabo paulo post (p. 151) a nonnullis Carteiam affert Tartessum intellegi, quae scilicet urbs prope Calpen urbem sita erat, ita ut non sine aliqua probabilitate hanc quoque sententiam ad Eratosthenem referre videamur. Aristotelis autem de hac re sententia accuratius explorari nequit.

Quam longe autem Iberiam septentrionem versus patere putaverit, inde colligi potest, quod dicit (Meteor. I 13, 19): *ἐκ δὲ τῆς Πυρήνης — τοῦτο δ' ἐστὶν ὄρος πρὸς δυσμὴν ἰση-*

μερινὴν ἐν τῇ Κελτικῇ — ῥέουσιν ὅ τε Ἴστρος καὶ ὁ Ταρτησσός. Pyrenaeos igitur montes non Iberiae, sed Celticae annumerat, cum Herodotus, qui quidem montis Pyrenaei nullam facit mentionem, Iberos usque ad sinum Ligusticum habitare videatur censuisse. In Herodotum igitur quodammodo quadrat, quod Strabo (III 166) dicit prioribus temporibus totam regionem inter columnas et Rhodanum sitam Iberiam appellatam esse, sua autem aetate Iberiam Pyrenaeo monte a Celtica dividi. Ad utramque inter Celticen et Iberiam dividendi rationem Eratosthenes mihi respicere videtur, ubi (ap. Strab. p. 106) cum eam longitudinem, quae sit inter Massiliam et columnas, tum eam, quae sit inter Pyrenaeos montes et columnas, affert, ita ut hunc iam Iberiam a Celtica Pyrenaeo monte dividi iudicavisse censendum sit.

Polybius quidem (III 39) aperte Iberos et Celtas hoc monte dividi auctor est, cum dicit: .. *τῶν Πυρηναίων ὀρῶν, ἃ διορίζει τοὺς Ἴβηρας καὶ Κελτούς.* Aristoteles autem iam accuratiorem Pyrenaeorum montium notitiam habuisse videtur; neque enim dubium est, quin l. l. verbis *τοῦτο δ' ἐστὶν ὄρος πρὸς δυσμὴν ἰσημερινὴν ἐν τῇ Κελτικῇ* contra Herodoti sententiam, Istrum ex Pyrene, urbe quadam Celtarum, oriri, pugnet. Sed inde concludere eum iam scivisse illis montibus duas gentes dividi prohibemur eo, quod (Animal. hist. VIII 28, 5) dicit, Celticam sitam esse *ὑπὲρ τὴν Ἰβηρίαν*, quae verba quomodo interpretanda sint supra monuimus, ut illud praetermittam, quod Pyrenaeos montes in ipsa Celtica sitos esse dicit. Inde vero, quod dicit hos montes *πρὸς δυσμὴν ἰσημερινὴν* sitos esse, eum de Iberiae situ satis certam et rectam sententiam habuisse apparet.

Ut autem Strabo promontorium sacrum extremum locum occidentem versus situm putabat non solum Europae, sed totius terrae habitatae, ita philosophum loca circa columnas Herculis et extra eas sita maxime occidentalia esse iudicabat. Longitudinem enim terrae habitatae cum latitudine comparans dicit (Met. II 5, 14 s.): *τὸ γὰρ ἀπὸ Ἡρακλείων στηλῶν μέχρι τῆς Ἰνδικῆς τοῦ ἐξ Αἰθιοπίας πρὸς τὴν Μαιῶτιν καὶ τοὺς ἐσχατεύοντας τῆς Σκυθίας τόπους πλέον ἢ πέντε πρὸς τρία τὸ μέγεθός ἐστιν,* et inde, quod pergit: *ἐάν*

τις τούς τε πλοῦς λογίζηται καὶ τὰς ὁδούς, apparet eum certiora de ora extra columnas sita nautarum indicia, quae Pytheas comparavit, nondum habuisse. Conferri possunt, quae sunt de divin. per somn. 1.: *τὸ γὰρ περὶ τῶν ἐφ' Ἡρακλείαις στήλαις ἢ τῶν ἐν Βορυσθένει προορᾶν τινας κ. τ. λ.*, ubi haec loca quasi extrema terrae afferuntur.

Aelianus autem testis est (var. h. V 3) Aristotelem tradidisse columnas, priusquam Herculis nominatae essent, Briareos esse vocatas illius, cuius Homerus (A 402 ss.) mentionem facit.

Restat, ut disseramus, quam naturam Iberiam habere Aristoteles putare videatur. Etenim supra monuimus eum inter frigida Europae et calida Asiae loca discernere et Graeciae ut medium inter illas locum, ita temperatum aërem tribuere. Atque Animal. generat. II 8 Celtarum regionem quippe frigidam opponere videtur Iberiae, cum dicit asinum in frigidis locis non inveniri, neque apud Scythas, neque apud Celtas *τοὺς ὑπὲρ τῆς Ἰβηρίας· ψυχρὰ γὰρ καὶ αὕτη ἡ χώρα*, ubi extrema verba nonnisi ad Celtarum terram pertinent. Et re vera ora maritima ad mare internum sita multo maiore caliditate utitur, quam interior Hispaniae pars, et cum illa plantis semper florentibus, vino, aliis fructibus, quales meridionales Europae regiones ferunt, abundet, haec propter hiemale frigus olivam non fert. Iberos autem ipsos gentem bellicosam vocat (Polit. V 2, 6) et in earum gentium numero habet, quae natura aptae sint, quae imperium suum bello extendant. Testimonium autem bellicosi eorum animi l. l. affert hunc usum, ut in cuiusque tumulo tot obeliscos defingant, quot hostes interfecit.

Haec hactenus de Iberia.

De Celtis.

Κελτική: Met. I 13, 19. Anim. hist. VIII 28, 5. fragm. 564 R. (de Mundo 3. Mirab. ausc. 85).

Κελτοί: Ethic. Nic. III 7, 7. Polit. II 6, 6. VII 2, 5. 15, 2. Anim. gener. II 8. fragm. 30. 568 R. (Ethic. Eud. III 1, 25. Mirab. ausc. 86).

(*Κελτικός:* Mirab. ausc. 50.)

Iam antea locum attulimus, quo Strabo testis est, quam male Timosthenes et Eratosthenes et ei, qui ante hos fuerint, occidentales et septentrionales Europae regiones noverint et constat postea demum, quam Romani expeditiones in illas regiones fecerunt earumque partes quasdam imperio suo subiecerunt, veteres accuratiorem earum notitiam nactos esse, atque Iberiae quidem inde a Polybii temporibus, Galliae vero et Germaniae post expeditiones a Caesare in has terras factas.

Ante haec tempora constat Celtarum significationem ita adhibitam esse, ut ad totam Europae regionem occidentalem et septentrionalem pertineret; quod ita esse cum ex scriptorum usu intellegitur, tum Strabo testis est (I 33), cuius in verbis, quae imprimis ad Ephori rationem gentes in terra habitata distribuendi videntur respicere, significationes Celtiberorum et Celtoscytharum docent illis temporibus non constitisse, quibus certioribus finibus singulae gentes inter se divisae essent. Etenim ut supra monuimus Iberos secundum Herodotum usque ad sinum Ligusticum habitavisse, ita Ephorus (ap. Strab. I 34) Celtis totam regionem occidentalem tribuit maximamque eos Iberiae partem usque ad Gades urbem obtinere auctor est (ap. Strab. IV 199). Atque Eratosthenem tradit Polybius (ap. Strab. II 107) statuisse in occidentali Iberiae ora ad exterius mare sita Galates habitare. Polybius autem primus certis finibus Celtas ab Iberis dividit, ubi dicit (III 39, 4) Pyrenaeis montibus has gentes seiungi.

Quae cum ita sint, vel per se ipsum intellegitur ne Aristotelem quidem certos inter has gentes novisse fines; eumque iudicare Celtas etiam in Hispania quae nunc vocatur habitare supra inde collegimus, quod dicit (Anim. hist. VIII 28, 5) Celtas habitare *ὑπὲρ τὴν Ἰβηρίαν,* ultra Iberiam. Quam longe autem Celtarum regionem septentrionem et orientem versus patere iudicaverit, affirmari nequit, et veri simile est eum ipsum hoc nesciisse. Sed cum totam regionem septentrionalem cum Celtis tum Scythis tribuisse apparet imprimis ex duobus locis, ubi has duas gentes ita affert, quasi easdem fere sedes aut finitimas habeant. Namque Anim. hist. VIII 28, 5 eandem caeli naturam eas habere dicit et similiter

se habet locus, qui est Anim. gener. II 8, ubi de eadem re agit. Ex his locis intellegitur in Aristotelem quoque quadrare, quod dicit Strabo l. l. veteres universam Europae partem septentrionalem Celtarum et Scytharum terram nominavisse, neque ullam Aristotelem Germanorum notitiam habuisse, quod de Timosthene et Eratosthene et eis qui ante hos fuerint Strabonem dicere supra monuimus. Neque puto Stephanum Byzantium nobis vestigia Germanorum notitiae servavisse, cum dicit s. v. *Γέρμαρα: Κελτικῆς ἔθνος, ὃ τὴν ἡμέραν οὐ βλέπει, ὡς Ἀριστοτέλης περὶ θαυμασίων. τοὺς δὲ Λωτοφάγους καθεύδειν ἑξάμηνον*, ac nescio an non recte viri docti vocem *Γέρμαρα* in *Γέρμανα* aut *Γερμανοί* commutaverint. At respicientibus nobis magis ad rem, quam ad nomen traditum, statim in mentem venit eorum hominum, quos Herodotus (IV 25) tradit loca maxime septentrionem versus sita incolere et sex anni menses dormire, qua in narratione incerta quaedam notitia regionum circa polum sitarum aperte latet. Et idem puto de hoc quoque Aristotelis, si quidem Aristotelis est, fragmento dicendum esse, ad quod rectius intellegendum accommodatum mihi videtur quod Strabo (II 75) tradit Hipparchum dicere circa Borysthenem et in Celtis per aestatis noctes totas solem non plane occidere, *ταῖς δὲ χειμεριναῖς τροπαῖς [τὸ] πλεῖστον μετεωρίζεσθαι τὸν ἥλιον ἐπὶ πήχεις ἐννέα, ἐν δὲ τοῖς ἀπέχουσι τῆς Μασσαλίας ἑξακισχιλίοις καὶ τριακοσίοις (οὓς ἐκεῖνος μὲν ἔτι Κελτοὺς ὑπολαμβάνει, ἐγὼ δ᾽ οἶμαι Βρεττανικοὺς εἶναι, βορειοτέρους τῆς Κελτικῆς σταδίοις δισχιλίοις πεντακοσίοις) πολλῷ μᾶλλον τοῦτο συμβαίνει κ. τ. λ.* Haec autem Hipparchus Pytheae, ut Strabo testis est, auctoritatem secutus proposuerat. Ea igitur, quae ante Pytheam de septentrionali regione incertis narrationibus et vagis rumoribus tradita erant, a Pythea accuratius explorata et via ac ratione exposita sunt. Bergerus autem (Hipparch. fragm. p. 67) Pytheam recte conicit secundum occidentalem Europae oram navigantem omnes gentes, in quas inciderit, Celtas vocavisse secundum eam rationem, qua Celtis universa occidentalis Europae pars tribuebatur. Ita sine dubio Stephani quoque verba interpretanda sunt et significatio gentis Celticae *Γέρμαρα*, apud quam Aristoteles

tradidisse dicitur numquam diem esse, ad regionem quandam maritimam aut Galliae aut Scandinaviae, non Germaniae referenda est.

Aristotelem autem iudicavisse Celtarum terram septentrionem versus mari circumdari, praesertim ex eo loco (Meteor. I 13, 19) apparere videtur, quo de fluminibus ex Arcyniis montibus ad septentrionem versus fluentibus agit, quem locum supra tractavimus.

Quod ad naturam terrae pertinet, duos montes in ea esse Aristoteles statuit, Pyrenaeos et Arcynios. Et Pyrenaeos quidem ait ad occasum aequinoctialem versus sitos esse et Istrum flumen inde oriri (Meteor. I 13, 19). Atque de montibus Pyrenaeis ipsis supra accuratius disseruimus; aptissimus autem hic locus est de Istro flumine disputandi.

Atque constat quidem hoc flumen iam Hesiodi temporibus veteribus notum fuisse (cf. Hes. Theog. 338); sed usque ad Augusti aetatem tantummodo extremae eius partis et ostii accuratiorem notitiam habebant, nullam reliqui fluminis. Qua de causa non mirandum est, quod usque ad illam aetatem plane incertae et variae de fontibus eius sententiae vulgabantur, quae quidem ita inter se congruunt, ut omnes eos in occidentali Europae regione ponant. Quattuor potissimum sententiae vetustiores inter se discernendae sunt. Secundum enim vetustissimam, quam Pindarus (Ol. III 25) et Aeschylus (ap. Schol. Apollon. IV 284) praebent, ex Hyperboraeorum montibus Rhipaeis fluebat; altera, quae apud Herodotum et Aristotelem invenitur, ea est, fluminis fontes esse in Celtarum monte Pyrenaeo sitos[1]; tertiam Eratosthenes (ap. Schol. Apoll. l. l.) proponit, Istrum ex vastis regionibus oriri; quarta, quae primum in mirabilium libri, qui Aristotelis nomine fertur, cap. 112 exstat, ex Arcyniis montibus originem eius ducit; hanc quartam ea de causa attuli, quia Aristoteles quoque Arcyniorum montium mentionem facit.

---

[1]) Quamquam Herodotus non de monte, sed de oppido Pyrene agit (II 33), tamen in eius verbis incertam montis Pyrenaei notitiam latere apparet.

Quae sententiae cum indicare videantur, quem progressum notitia regionis septentrionalis apud veteres fecerit, magni momenti sunt.

Etenim Herodotus (IV 25) postquam de regionibus ultra Maeotidem paludem sitis verba fecit, extremas has regiones altis et aviis montibus obtineri ait, quorum quidem nomen nullum affert, qui tamen non dubium est quin eidem sint, quos Aeschylus Rhipaeos montes vocat, quorum Herodotus nullam mentionem facit. Cum de his montibus solis ante Herodotum notitiam haberent, totam eos regionem septentrionalem obtinere putabant et ab iis etiam Istri fluminis originem ducebant. Herodoti deinde temporibus prima notitia Pyrenaeorum montium occidentem versus sitorum exstitit et statim ab his Ister fluere putabatur, quam sententiam Aristoteles quoque proponit. Cum igitur hi duo montes discernerentur, iamiam Rhipaeis magis septentrionalis et orientalis locus tribuebatur, sicut ab Hippocrate Coo (de aëre etc. p. 557 Kühn: *κέεται γὰρ [τὸ Σκυθικὸν ἔθνος] ὑπ᾽ αὐτῇσι τῇσι ἄρκτοισι καὶ τοῖσι οὔρεσι τοῖσι Ῥιπαίοισι, ὅθεν ὁ βορέης πνέει*) et Aristotele. Sed Aristotelis de his montibus verba ab interpretibus adhuc non recte videntur esse intellecta. Etenim postquam Meteor. I 13, 19 ss. exposuit Istrum ex Pyrenaeo monte defluere et in Pontum Euxinum se immittere, ita pergit: *τῶν δ᾽ ἄλλων ποταμῶν οἱ πλεῖστοι πρὸς ἄρκτον ἐκ τῶν ὀρῶν τῶν Ἀρκυνίων· ταῦτα δὲ καὶ ὕψει καὶ πλήθει μέγιστα περὶ τὸν τόπον τοῦτόν ἐστιν· ὑπ᾽ αὐτὴν δὲ τὴν ἄρκτον ὑπὲρ τῆς ἐσχάτης Σκυθίας αἱ καλούμεναι Ῥῖπαι, περὶ ὧν τοῦ μεγέθους λίαν εἰσὶν οἱ λεγόμενοι λόγοι μυθώδεις· ῥέουσι δ᾽ οὖν οἱ πλεῖστοι καὶ μέγιστοι μετὰ τὸν Ἴστρον τῶν ἄλλων ποταμῶν ἐντεῦθεν, ὥς φασιν.*

Haec verba ab interpretibus ita explicantur, quasi Aristoteles dicat et ex Arcyniis et ex Rhipaeis montibus plurima et maxima flumina oriri. Sed apparet tum eum ipsum secum pugnare, cum priore loco dicat Istro excepto plurimos fluvios ex Arcyniis montibus defluere (*τῶν δ᾽ ἄλλων ποταμῶν οἱ πλεῖστοι πρὸς ἄρκτον ἐκ τῶν ὀρῶν τῶν Ἀρκυνίων*), posteriore loco (*ῥέουσι δ᾽ οὖν οἱ πλεῖστοι καὶ μέγιστοι μετὰ τὸν Ἴστρον τῶν ἄλλων ποταμῶν ἐντεῦθεν*),

maximos secundum Istrum fluvios ex Rhipaeis montibus originem habere. Apparet hoc stare non posse. Sed hoc Aristoteles dicere omnino noluit; potius verbis *ῥέουσι δ᾽ οὖν κ. τ. λ.* ad priorem sententiam (*τῶν δ᾽ ἄλλων ποταμῶν κ. τ. λ.*), plurimos praeter Istrum fluvios ex Arcyniis montibus fluere, respicit et ad eam redit quippe interruptam altera sententia, sub ipso arcto Rhipaeos montes sitos esse. Verba ita interpretanda esse, vel particula *οὖν* indicare videtur, ut hic sit disputationis nexus: Ister flumen ex Pyrenaeo monte defluit; ceterorum autem fluviorum plurimi septentrionem versus fluunt ex Arcyniis montibus, qui et altitudine et magnitudine maximi sunt in Europa; — sub ipso autem arcto ultra extremam Scythiam siti sunt Rhipaei qui vocantur, quorum de magnitudine quae narrantur, valde fabulosa sunt; — defluunt igitur plurimi et maximi secundum Istrum fluvii ab illis Hercyniis montibus, ut aiunt.

Quae si recte exposita sunt, Aristotelem apparet Rhipaeos fabulares potius iudicare, quam re vera eos esse; id hoc quoque indicare videtur, quod eos appellat Rhipaeos 'qui vocentur'. Atque eandem sine dubio sententiam Herodotum, qui eorum nomen ignorare non potuit, inde coniciendum est habuisse, quod eorum nullam mentionem facit, sicut Eratosthenes quoque, ut videtur (cf. Berger Erat. fr. p. 29 ss.), et Apollodorus et Strabo (VII 295. 299) eos fabulares et a scriptoribus fictos putant; Ptolemaeus demum (geogr. III 5, 15. 22) eis certum locum tribuit. Hac autem ipsa sententia Aristoteles commotus est, ut l. l. Arcynios montes maximos et altissimos Europae montes diceret.

Atque apparet, postquam notitia septentrionalium regionum paulum aucta et compertum est alios magnos montes locum quendam inter Pyrenaeos et paludem Maeotidem tenere, fieri non potuisse, quin Rhipaei montes, cum antea opinio fuisset eos totam septentrionalem regionem obtinere, magis magisque in fabulae speciem abirent. Magni autem illi montes Arcynii vocabantur, quorum notitia apud Aristotelem primum invenitur; secundum ea autem, quae exposuimus, dubium esse nequit, quin ii, qui primae eorum apud Graecos notitiae auctores sunt, Alpes intellexerint (cf. Kiepert,

Lehrb. der Geogr. p. 4. 224), quarum cognitionem Philippi fere, Macedonum regis, temporibus ad Graecos pervenisse censendum est. Aristoteles autem Arcyniis montibus locum magis septentrionem versus situm videtur tribuisse, cum dicat inde plurima flumina septentrionem versus fluere, quibus in verbis incertam quandam Germaniae fluminum notitiam latere supra vidimus.

Sed redeamus, unde aberravit disputatio, ad Istrum flumen, cuius originem Aristoteles, ut exposuimus, ex Pyrenaeis montibus ducit; et quod Herodotus dixerat (IV 49) eum per totam Europam fluere, idem ille quoque statuit l. l. Atque ad Herodotum sine dubio id quoque referendum est, quod Istrum et Nilum maxima esse flumina eorum, quae in internum mare se immittant, statuit (Meteor. II 2, 24). Aperte his verbis Herodoti rationem habet dicentis (IV 48): *ποταμῶν καὶ ἄλλων ἐς αὐτὸν ἐκδιδόντων εἰσὶ δὴ οἵδε οἱ μέγαν αὐτὸν ποιεῦντες*, et sequentibus tum verbis exponentis a septentrione quinque, a meridie decem flumina in Istrum se immittere, quorum nomina quoque affert; quorum quidem Aristoteles mentionem nullam facit.

Veniamus iam ad eam quaestionem, quae est de veterum opinione, Istri partem quandam in Adriaticum mare fluere (cf. Berger Erat. fragm. p. 347). Atque Herodotus quidem hanc opinionem ignorat; apud Scylacem qui dicitur (§ 20 geogr. gr. min. I p. 26 Müll.), Theopompum (ap. Strab. VII 317), Aristotelem (Anim. hist. VIII 13, 4) primos invenitur. Hi omnes eodem modo hanc sententiam proponunt, Istri fluminis partem alteram in Adriaticum mare, alteram in Pontum Euxinum fluere, idque Aristoteles l. l. postquam de piscibus in pontum Euxinum natantibus et inde in Propontidem revertentibus egit.

Iure viri docti[1]) tales sententias inde ortas esse contendunt, quod de viis quibusdam, quibus mercatores ex altera regione in alteram pervenissent, falsae et incertae opiniones pervulgatae essent. Atque quod ad hanc de qua agimus sententiam attinet, Bergerus l. l. rectissime narrationis, quae

---

[1]) cf. Berger Erat. fragm. p. 347 ss.

est (Aristot.) ausc. mirab. 104, et Strabonis de via agentis, qua mercatores ab Adriatico sinu ad Istrum et Pontum Euxinum proficisci soliti sint, commonefacit.

Aristotelis autem de piscibus verba sine dubio indicant, quomodo ea opinio veteribus comprobata sit, et monendum est iam antea nos duos eiusmodi locos attulisse, ubi veteres diversas regiones aut inter se coniunctas aut omnino easdem esse putabant, quia idem ferarum genus utroque loco inveniri sciebant. Sic nostro quoque loco res se habet et apparet Aristotelem inde, quod sciebat trichias et in Ponto et in Adriatico mari inveniri, conclusisse, cum constare videretur hos pisces ex Propontide in Pontum intrare, tamen nunquam inde reverti, eos per Istrum in mare Adriaticum pervenire. Eandem hanc rem Plinius (n. h. IX 10 s., 15) affert sed ita, ut dicat trichias 'subterraneis Istri venis' ex eo in mare Adriaticum pervenire, quae verba indicant, qua ratione eis temporibus, quibus constabat partem Istri nullam in Adriaticum mare se immittere, sententiam, quam Aristoteles de trichiis proposuerat, explicare studuerint.

Hanc sententiam apparet post Herodotum et ante Scylacem qui dicitur ortam esse; sine dubio igitur eodem fere tempore primum exstitit, quo primam Alpium vel Arcyniorum montium in Graeciam pervenisse notitiam supra monuimus. Strabo autem suis temporibus eam iam plane exstinctam esse testis est (I 57 VII 317).

De ostiis Istri, quorum de numero veteres valde dissentiebant, Aristoteles nihil nisi hoc affert eum in Pontum Euxinum fluere (Met. I 13, 9).

Praeter illa flumina, quae ex Arcyniis montibus septentrionem versus fluere dicit, nullum aliud Celtices flumen commemorat; nam Rhodanum flumen, cuius mentionem facit, potius Ligurum, quam Celtarum flumen aperte intellegit; de illis autem infra est disputandum. Idemque de Massilia urbe dicendum est.

Restat igitur, ut ea afferamus, quae de natura terrae et de Celtis ipsis eorumque ingenio et indole passim disputat. Atque supra monuimus eum dicere Celtarum terram eadem, qua Scytharum, caeli natura uti, hoc est frigida,

propter quod frigus asinum in his regionibus gigni negat. Hanc autem fortitudinis quoque causam esse aperte putat, qua Celtae praeter ceteras gentes floreant; nam supra statuimus omnino eum iudicare barbaras gentes, quae frigida loca teneant, fortiores esse, quam quae in calidis regionibus habitent. Habet enim Celtas in eis gentibus, quae natura aptae sint, quae alios imperio suo subiciant, et quae belli virtutem magni aestiment (Polit. VII 2, 5); qua de causa etiam a prima pueritia frigore ita assuescunt, ut infantes eorum modo exiguo vestimento utantur (Polit. VII 15, 2). Etiam apud Celtarum gentem, solam fere omnium bellicosarum, viros non esse sub potestate mulierum ait (Polit. II 6, 6). Eandemque de Celtis sententiam alii quoque scriptores proferunt, sicut Livius (XXI 16), ut paucos afferam, eos 'avidas semper armorum Gallicas gentes' vocat et Strabo (IV 178) eos magis bellis gerendis, quam agris colendis deditos fuisse refert, et quod dicit (IV 196) bellicosissimas gentium Celticarum esse eas, quae prope mare exterius habitent, non dubito ea quoque, quae Aristoteles narrat (Ethic. Nic. III 7, 7. cf. Eth. Eud. III 1, 25), Celtas contra undas armis pugnare, ad easdem gentes Celticas, de quibus Strabo agit, exterius mare accolentes referre et in hac quoque narratione notitiam quandam latere maris septentrionalis statuere.[1])

Aristotelem autem Romam a Celtis captam haud ignoravisse Plutarchus (vit. Camill. c. 22) testis est his verbis: *Ἀριστοτέλης δὲ ὁ φιλόσοφος τὸ μὲν ἁλῶναι τὴν πόλιν ὑπὸ Κελτῶν ἀκριβῶς δῆλός ἐστιν ἀκηκοώς, τὸν δὲ σώσαντα Λεύκιον εἶναί φασιν· ἦν δὲ Μάρκος, οὐ Λεύκιος, ὁ Κάμιλλος.*

Quod vero Diogenes Laërtius (1, 1) refert Aristotelem in 'Magico' tradidisse Celtis et Galatis Druides et eos, qui Semnothei appellarentur, philosophiae auctores fuisse, hoc iniuria philosopho tributum esse viri docti consentiunt (cf. ed. Didot. IV p. 66 s.) et vel inde videtur apparere, quod significatio Galatarum demum post Aristotelis et Alexandri Magni aetatem exstitit.

---

[1]) cf. Muellenhoff, Deutsche Alt. I p. 231 s.

De Scythis.

οἱ Σκύθαι Eth. Nicom. III 3, 6. VII 7, 6. Analyt. post. I 13, 11. Polit. VII 2, 5. 6. Animal. gener. II 8. V 3. Anim. hist. VI 22, 2. VIII 12, 2. 25. 28, 4. 5. IX 33. 47. Meteor. I 13, 20. II 3, 47. 5, 14. [Mirab. ausc. 30. 141. Probl. III 7. XX 21 de Mundo 3. Physiogn. 1].

Ex Strabone (I 34) constat Ephorum totam Europae septentrionalem regionem a Scythis incoli iudicavisse et ad hanc sententiam sine dubio Strabo respicit, cum dicit (XI 507), homines, qui septentrionem versus habitent, a veteribus Scythas et Celtoscythas vocatos esse. Ad Hellanicum autem et Herodotum et Ctesiam significationem Hyperboreorum et Sauromatorum et Arimasporum sequentibus verbis refert. Aperte igitur aetatem Herodoti ab Ephori discernit et statuit Ephori aetate septentrionalis Europae scientiam Graecis auctam esse. Ex Celtoscytharum autem significatione supra collegimus Celtarum et Scytharum regiones nullis certis finibus a veteribus divisas esse. Hoc autem de Aristotele quoque dicendum esse iam monuimus simulque commemoravimus eum putare Celtas et Scythas per totam Europam septentrionalem habitare, sed ita, ut Celtas magis occidentem versus, Scythas ad ortum habitare iudicaverit. Hos enim loca circa Pontum et Maeotidem sita tenere aperte dicit, cum eos *τοὺς ἐν τῷ Πόντῳ Σκύθας* appellet (Anim. gen. V 3) et aliis locis (Meteor. II 5, 14. Anim. hist. VIII 25. 28, 4) Scythiam ipsam circa Pontum et Maeotidem sitam commemoret aperte ad eam regionem, quam Herodotus Scythiam significat et accuratius describit, respiciens. Hanc autem gentem usque ad extrema loca septentrionem versus sita et ad terrae habitatae fines habitare putat; nam Meteor. II 5, 14 de longitudine et latitudine terrae habitatae agens intellegit eam regionem, quae sit inter Aethiopiam et paludem Maeotidem nec non extrema Scythiae loca, qua in re tenendum est veteres putavisse paludem Maeotidem multo longius, quam re vera fit, septentrionem versus patere. Ex ratione autem, qua latitudinem terrae definit, quantopere regiones Germaniae et Galliae ignoraverit, clare apparet. Fines vero terrae

habitatae, ut supra expositum est, in eis locis ponit, quae sub ipso arcto posita esse putabantur. Quod igitur dicit (Meteor. I 13, 20): *ὑπ᾽ αὐτὴν δὲ τὴν ἄρκτον ὑπὲρ τῆς ἐσχατίης Σκυθίας αἱ καλούμεναι Ῥῖπαι, περὶ ὧν τοῦ μεγέθους λίαν εἰσὶν οἱ λεγόμενοι λόγοι μυθώδεις*, sane iudicandum est eum hos montes in finibus terrae habitatae septentrionali posuisse, non aliter, atque Hippocratem, qui dicit (de aëre etc. 19): *κέεται* (Scythia sc.) *ὑπ᾽ αὐτῇσι τῇσι ἄρκτοισι καὶ τοῖσι ὄρεσι τοῖσι Ῥιπαίοισι ὅθεν ὁ βορέας πνέει.* Sed licet is Rhipaeos veros montes iudicaverit, Aristotelem ipsum, ut supra exposuimus, eos potius in fictiticiis habuisse veri simile est. Haec autem ratiocinatio eo videtur comprobari, quod terram in latitudinem usque ad loca non habitabilia notam esse statuit (Meteor. II 5, 15): paulo autem ante Scythiae extrema loca terrae quoque habitatae esse extrema loca dicit; sed Rhipaeos montes in regione ultra Scythiam sita ponit; huius igitur regionis nullam habet scientiam. Monendum quoque est philosophum nullius fluminis originem ab illis montibus ducere; nam falsos esse, qui in hanc sententiam locum supra laudatum interpretentur, supra explicavimus. Si autem Rhipaeos montes veros, non fictos duxisset, vix dubitandum est, quin Borysthenem, quem in scriptis eius commemoratum esse scimus (fr. 72 R.), inde oriri iudicaturus fuerit secundum eam rationem, quam l. l., ubi Rhipaeos montes inter alios affert, comprobare studet, maximos fluvios ex maximis montibus defluere. Neque enim censendum est eum hoc flumen in minorum numero habuisse, cum Herodotus (IV 53) Borysthenem secundum Istrum et Nilum omnium dicat fluminum esse maximum. Sed cum idem Herodotus Borysthenis fontes se ignorare profiteatur et de Rhipaeis montibus aperte eandem sententiam, quam Aristoteles, habuerit, hunc secutum Herodotum Borysthenis fontes iudicavisse ignotos esse eaque de causa neque hunc commemorasse neque ceteros Scythiae fluvios veri simillimum est, quos fluvios Herodotus affert, quorum tamen originem non ex montibus sed ex lacubus quibusdam ducit: haec autem opinio cum Aristotelis ratione pugnabat.

Aliis autem locis praeter Istrum et Borysthenem com-

memorantur inter flumina in Pontum se immittentia Tanais (Met. I 13, 16. 14, 31), Hypanis is, qui in Bosporum Cimmerium fluit et hodie vocatur Kuban (Anim. hist. V 19, 14), Phasis (Meteor. I 13, 17. Anim. hist. III 21, 7. fragm. 72 R. [Mirab. ausc. 158]).

Atque Phasidis quidem fontes in Caucaso sitos esse dicit Met. I 13, 17; ubi quod statuit: *ἐκ δὲ τοῦ Καυκάσου ἄλλοι τε ῥέουσι πολλοὶ καὶ κατὰ πλῆθος καὶ κατὰ μέγεθος ὑπερβάλλοντες καὶ ὁ Φᾶσις*, non dubitamus, quin Hypanim quoque modo commemoratum, cuius fontes non affert, inde fluere opinatus sit; hic autem Hypanis non commutandus est cum eo, de quo Herodotus multis locis agit, qui prope Olbiam urbem in Pontum se immittit et hodie vocatur Bug; ut autem ab hoc alterum eiusdem nominis flumen discernat, sine dubio hac de causa eum vocat *τὸν Ὕπανιν ποταμὸν τὸν περὶ Βόσπορον τὸν Κιμμέριον*. Iure igitur Koenigsmannus (l. l. p. 135) ex hac significatione colligit alterum eiusdem nominis fluvium Aristoteli notum fuisse; et sine dubio ad hunc referendum est, quod dicit Meteor. II 3, 47: *ἔστι δὲ καὶ περὶ Λύγκον κρήνη τις ὕδατος ὀξέος, περὶ δὲ τὴν Σκυθικὴν πικρά, τὸ δ᾽ ἀπορρέον αὐτῆς τὸν ποταμὸν εἰς ὃν εἰςβάλλει ποιεῖ πικρὸν ὅλον.* Qui fons quin idem sit, quem in Hypanim fluere eiusque aquam amaram reddere Herodotus (IV 52. 81) narrat, vix est dubitandum. Eius autem fluminis, quem Aristoteles, idque primus, affert, Herodotus nullam mentionem facit, unde videtur concludendum esse eum hoc flumen non novisse; hoc autem argumento sententia confirmatur, quam Matzatius (Hermes 1872 p. 412 ss. 417) proponit et comprobat, Herodotum oram Ponti Euxini Asiaticam praeternavigantem ultra Phasidem flumen et Colchorum terram non progressum esse; sed ne huius quidem terrae accuratiorem sibi scientiam comparavit; neque enim Phasidis fontes affert, ut eos ignorare videatur. Aristoteles autem primus eos affert, et praeter Procopium (B. Goth. IV 2) et Geographum Ravennatem (IV 20) unus Aristoteles in Caucaso eos sitos esse statuit; nam cum Strabo (XI 498) aliique eum ex Armeniae montibus fluere affirment, Apollonius Rhodius (Argon. II 401) ex Colchorum terra eius originem ducit.

Quam vero sententiam Aristoteles de Tanaidis fontibus proponit (Met. I 13, 16), haec apud eum primum invenitur; dicit enim l. l., postquam Paropamisum montem, quem Parnassum vocat, maximum esse Asiae montem statuit: *ἐκ μὲν οὖν τούτου ῥέουσιν ἄλλοι τε ποταμοὶ καὶ ὁ Βάκτρος καὶ ὁ Χοάσπης καὶ ὁ Ἀράξης· τούτου δ' ὁ Τάναϊς ἀποσχίζεται μέρος ὢν εἰς τὴν Μαιῶτιν λίμνην.* Praeter philosophum autem eandem sententiam nemo nisi Hecataeus Abderita sive Teius proposuit; Scymnus enim Chius in orbis descriptione v. 865 ss. haec affert:

ἀπὸ τῶν δὲ Μαιωτῶν λαβοῦσα τοὔνομα
Μαιῶτις ἑξῆς ἐστι λίμνη κειμένη,
εἰς ἣν ὁ Τάναϊς
ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ λαβὼν τὸ ῥεῦμ' Ἀράξεως
ἐπιμίσγεθ' ὡς Ἑκαταῖος εἶφ' ὁ Τήιος.

Nam ita haec verba a Roepero restituta sunt (Ueber einige Schriftsteller mit Namen Hekatäos Danzig 1877).

Videamus iam, quomodo haec sententia videatur explicanda esse.

Atque Herodotum quidem Armeniae Araxem cum Oxo ita confudisse, ut haec duo flumina unum esse putaret (Herod. I 202), constat (cf. Neumann, Patrokles u. d. Oxos, Hermes IXX, 168). Etenim Araxem quem vocat ex Matienorum finibus fluere et per unum ostium in mare Caspium se immittere, sed per quadraginta alia in paludes abire dicit. Sine dubio igitur eius alteram partem Caspium mare orientem versus praeterfluere putavit, incerta quadam Oxi fluminis scientia ad hanc sententiam adductus. Ad eundem hunc Oxum apud Aristotelem quoque Araxis commemorationem referendam esse statuendum est (cf. Neumann l. l. p. 181), cum Araxem ex Parnasso monte defluere dicat; in partes duas eum discedere cum Herodoto consentit neque dubium est, quin ipse quoque alteram partem in Caspium mare fluere opinatus sit; alteram autem Tanaim esse et in paludem Maeotidem fluere statuit; hanc igitur novam sententiam post Herodotum exstitisse censendum est.

Plinius autem (n. h. VI 16, 18) dicit: '— flumine Iaxarte, quod Scythae Silim vocant, Alexander militesque eius Tanaim

putavere esse', cumque eo aperte Curtius et Arrianus consentiunt; nam ille (VII 29, 2): 'Bactrianos Tanais ab Scythis, quos Europaeos vocant, dividit. Idem Asiam et Europam finis interfluit'. Hic autem (anab. III 30, 7) postquam narravit Alexandrum Maracandam, Sogdianae in urbem, pervenisse, ita pergit: *ἔνθεν δὲ ἐπὶ τὸν Τάναϊν ποταμὸν προῄει· τῷ δὲ Ταναΐδι τούτῳ, ὃν δὴ καὶ Ἰαξάρτην ἄλλῳ ὀνόματι πρὸς τῶν ἐπιχωρίων βαρβάρων καλεῖσθαι λέγει Ἀριστόβουλος* —. Ex his verbis, quae omnia videntur ex Aristobuli libro sumpta esse, clare apparet Alexandrum militesque eius nec non Aristobulum ipsum, cum ad Iaxartem pervenissent, hoc flumen Tanaim duxisse; ita sine dubio verba *ἔνθεν δὲ ἐπὶ τὸν Τάναϊν ποταμὸν προῄει* non minus quam sequentia, hunc Tanaim ab accolis etiam Iaxartem nominari, explicanda sunt; et sequitur ex eis, Iaxartem flumen eiusque nomen, priusquam Alexander ad eum pervenerit, Graecis non notum fuisse; confirmatur igitur his verbis sententia, neque Herodoti neque Aristotelis de Araxe verba ad Iaxartem referri posse; nam Meteorologicorum libros eodem fere anno (328 a. Chr. n.), quo Alexander ad Oxum et Iaxartem flumina pervenit, scriptos esse satis constat. Conferenda sunt etiam verba, quae Alexander apud Arrianum (VII 10, 6) apud milites facit: — *περάσαντα Ὦξόν τε ποταμὸν καὶ Τάναϊν ἔτι δὲ τὸν Ἰνδὸν ποταμόν.*

Verba igitur, quae apud Arrianum l. l. sequuntur, quibus hunc Tanaim ex Caucaso monte in Caspium mare fluere exponitur eumque alium esse atque eum, quem Herodotus tradat ex magno lacu in Maeotidem paludem fluere, non ad Aristobulum, sed ad ipsum Arrianum referenda sunt.

Quae cum ita sint, apparet Macedones quidem, cum ad Iaxartem pervenissent eam sententiam habuisse, quam Aristoteles tradit, et putavisse Iaxartem, quam Tanaim iudicabant, ab Araxe, quem ab accolis Oxum appellari iam per Bactrianorum fines profecti cognoverant, abscissum in paludem Maeotidem fluere, Graecos autem iam incertam quandam Oxi et Iaxartis fluminum notitiam habuisse.

Quae coniectura comprobaretur, si Alexandri aetate sententiam fuisse Oxum et Iaxartem etsi non ita a Graecis

illis temporibus nominatos inter se coniunctos esse demonstrari posset. Cuius sententiae vestigia apud Strabonem (XI 518) exstare mihi videntur. Etenim l. l. de Bactrianae et Sogdianae fluminibus disserens exponit alios iudicare Ochum flumen omnino alium esse atque Oxum et totum ab eo disiunctum in Caspium mare fluere, alios, initia quidem fluviorum inter se disiuncta esse, certo autem loco eos in unum, Ochum, confluere; sine dubio haec ex Aristobulo, quem ineunte paragrapho laudat, sumpta sunt, et monendum est Strabonem utra sententia vera sit in medio relinquere. Tum autem pergit: *ὁ μέντοι Ἰαξάρτης ἀπ᾽ ἀρχῆς μέχρι τέλους ἕτερός ἐστι τοῦ Ὤξου καὶ εἰς μὲν τὴν αὐτὴν τελευτῶν θάλατταν, αἱ δ᾽ ἐμβολαὶ διέχουσιν ἀλλήλων, ὥς φησι Πατροκλῆς, παρασάγγας ὡς ὀγδοήκοντα.* Quibus verbis quod Iaxartem non cum Oxo coniunctum esse Strabo tam graviter affirmat, ut contra alteram sententiam, flumina illa inter se coniuncta esse, eum pugnare non credi vix possit, inde hanc sententiam ab Aristobulo eodem, quem ineunte paragrapho laudat, traditam esse colligendum puto. Veram autem sententiam Strabo aperte Patroclem quem commemorat secutus affert et hic primus eam statuisse videtur; eius autem, quam Aristoteles tradidit quamque usque ad Patroclem auctoritatem habuisse censendum est, Ctesiam auctorem fuisse veri simillimum est.

Cui ratiocinationi Strabo ipse videtur oppugnare, cum de hac re disserens (XI 509 s.) eam sententiam, quam ante Patroclem fuisse modo diximus, a Macedonibus, ut Alexandri cupiditati gloriae inservirent, inventam esse dicit. Sed totum exscribo locum, quippe qui magni momenti sit et accurate explicandus:

προσεδοξάσθη δὲ καὶ περὶ τῆς θαλάττης ταύτης (sc. de mari Caspio) *πολλὰ ψευδῆ διὰ τὴν Ἀλεξάνδρου φιλοτιμίαν· ἐπειδὴ γὰρ ὡμολόγητο ἐκ πάντων, ὅτι διείργει τὴν Ἀσίαν ἀπὸ τῆς Εὐρώπης ὁ Τάναϊς ποταμός, τὸ δὲ μεταξὺ τῆς θαλάττης καὶ τοῦ Ταναΐδος πολὺ μέρος τῆς Ἀσίας ὂν οὐχ ὑπέπιπτε τοῖς Μακεδόσι, στρατηγεῖν δ᾽ ἔγνωστο, ὥςτε τῇ φήμῃ γε κἀκείνων δόξαι τῶν μερῶν κρατεῖν τὸν Ἀλέξανδρον.*

A. *εἰς ἓν οὖν συνῆγον τήν τε Μαιῶτιν λίμνην τὴν δεχομένην τὸν Τάναϊν καὶ τὴν Κασπίαν θάλατταν,*

a. *λίμνην καὶ ταύτην καλοῦντες*

B. *καὶ συντετρῆσθαι φάσκοντες πρὸς ἀλλήλαις ἀμφοτέρας, ἑκατέραν δὲ εἶναι μέρος τῆς ἑτέρας.*

b. *Πολύκλειτος δὲ καὶ πίστεις προσφέρεται περὶ τοῦ λίμνην εἶναι τὴν θάλατταν ταύτην (ὄφεις τε γὰρ ἐκτρέφειν καὶ ὑπόγλυκυ εἶναι τὸ ὕδωρ),*

C. *ὅτι δὲ καὶ οὐχ ἑτέρα τῆς Μαιώτιδός ἐστι, τεκμαιρόμενος ἐκ τοῦ τὸν Τάναϊν εἰς αὐτὴν ἐμβάλλειν. ἐκ γὰρ τῶν αὐτῶν ὀρῶν τῶν Ἰνδικῶν, ἐξ ὧν ὅ τε Ὦχος καὶ ὁ Ὦξος καὶ ἄλλοι πλείους, φέρεται καὶ ὁ Ἰαξάρτης ἐκδίδωσί τε ὁμοίως ἐκείνοις εἰς τὸ Κάσπιον πέλαγος, πάντων ἀρκτικώτατος· τοῦτον οὖν ὠνόμασαν Τάναϊν,*

c. *καὶ προσέθεσαν καὶ τούτῳ πίστιν, ὡς εἴη Τάναϊς, ὃν εἴρηκεν ὁ Πολύκλειτος· τὴν γάρ περαίαν τοῦ ποταμοῦ τούτου φέρειν ἐλάτην καὶ ὀιστοῖς ἐλατίνοις χρῆσθαι τοὺς ταύτῃ Σκύθας, τοῦτο δὲ καὶ τεκμήριον τοῦ τὴν χώραν τὴν πέραν τῆς Εὐρώπης εἶναι, μὴ τῆς Ἀσίας· τὴν γὰρ Ἀσίαν τὴν ἄνω καὶ τὴν πρὸς ἕω μὴ φύειν ἐλάτην.*

Quibus in verbis recte explicandis inde proficiscendum est, quod dicit Strabo (C), Macedones Iaxartem, qui ex montibus Indicis oriatur et in Caspium mare influat, Tanaim appellavisse et ita (AB) Caspium mare et paludem Maeotidem inter se coniuncta ac paene eadem esse simulavisse. Sed si hoc verum esset, Macedones iam priusquam ad Iaxartem pervenerint et nominis et fontium et ostii eius certam scientiam habuisse iudicandum esset; sed hanc opinionem falsam, contrariam rectam esse supra exposuimus.

Sequitur igitur Strabonem cum dicat Macedones Iaxartem appellavisse Tanaim falsum esse et unice recte se habere id quod Plinius l. l. dicit Alexandrum eiusque milites Iaxartem putavisse Tanaim. Atque cum Macedones de Iaxarte omnino nihil accuratius scirent, ne sententiam quidem proponere poterant eum in mare Caspium fluere. Irritum igitur fit, quod Strabo dicit eos eo, ut Iaxartem

Tanaim appellarent, mare Caspium eandem paludem esse atque Maeotidem finxisse et omnia, quae Strabo sub litteris A B C proponit, pro eius ipsius sententia habenda sunt, quam falsa illa opinione, qua putabat Macedones cum ad Iaxartem pervenissent eius iam accuratiorem notitiam habuisse, ductus sibi finxit. Polyclito igitur tantummodo ea tribuenda sunt, quae sub litteris a b c supra attulimus, unde eum nihil nisi haec proposuisse intellegitur mare Caspium lacum esse, quam ad sententiam comprobandam attulit, in eo angues nasci et aquam eius esse dulcem; et Macedones cum ad Iaxartem pervenissent eum Tanaim duxisse atque hanc opinionem eo comprobatam habuisse, quod ultra hoc flumen pinus gigneretur et Scythae circa flumen habitantes sagittis pineis uterentur: pinum autem in Europa, non in Asia gigni, quae terrae partes Tanai dividerentur.

Qui autem factum sit, ut Strabo eam quam affert sententiam Macedonibus tribueret, facile inde intellegitur, quod ipse mare Caspium non lacum, sed sinum maris exterioris et cum hoc coniunctum esse putabat neque cogitabat Macedones alteram hanc sententiam habuisse mare Caspium lacum esse. Ita autem opinionem eorum, Iaxartem, quem Tanaim putabant, in paludem Maeotidem fluere, non aliter interpretari poterat, quam quasi illi mare Caspium, in quem Iaxartem fluere ipse putabat, cum palude Maeotide coniunctum esse opinarentur, cum Iaxartem-Tanaim septentrionem versus circa mare Caspium in paludem Maeotidem fluere opinarentur. Praeterea autem Strabo Polycliti verba, mare Caspium non aliter atque paludem Maeotidem lacum esse, falso videtur ita interpretatus esse, quasi ille dixisset mare Caspium eundem lacum esse atque paludem Maeotidem. Iniuria igitur l. l. statuit Macedones, ut Alexandri gloriae cupiditati inservirent (*διὰ τὴν Ἀλεξάνδρου φιλοτιμίαν*), illam falsam de Tanai et Caspio mari sententiam proposuisse.

Quae cum ita sint, Strabonis de hac re disputatione ea, quae supra ex Arriani potissimum et Plinii verbis collegimus, non modo non debilitantur, sed confirmantur et comprobantur.

Iam quaerentibus nobis, quomodo ea sententia, quam

Aristoteles proponit, videatur orta esse, sine dubio haec quoque, sicut ea, quam de Istro fuisse supra exposuimus, ex incertis opinionibus orta est, quae de viis vulgabantur, quibus mercatores ex India usque ad paludem Maeotidem et Pontum Euxinum per singula illius regionis flumina merces suas transportare solebant. (Cf. Strabo II 73 XI 509).

Atque si Aristotelem veriorem quandam de situ paludis Maeotidis nec non de Tanaidis tractu sententiam habuisse censebimus, id quod supra iam proposuimus, eum hac quoque sententia ad illam de Tanai opinionem probandam adductum esse haud iniuria iudicabimus. Quod autem in libro suo Polyclitus de regione ultra Iaxartem sita proposuit (cf. p. 63 sub c), id nobis testimonium est, quomodo Macedonibus sententia, quam Aristoteles proponit, comprobata sit. Ex eisdem autem Polycliti verbis eum ipsum hanc sententiam proposuisse apparere videtur ita, ut non Macedones, cum ad Iaxartem pervenerint, illam sententiam falsam esse cognoverint, sed Patrocles demum, ut supra coniectando statuimus, veram de Iaxarte sententiam proposuisse eique auctoritatem videatur attulisse. Qua ab ratiocinatione non abhorrent ea, quae Arrianus l. l. ex Aristobulo affert, unde hunc quoque ipsum etiam, cum librum suum scripsit, Iaxartem Tanaim putavisse videtur consequi. Aperte autem huic ratiocinationi propitium est, quod Hecataeus ille, qui ineunte tertio a. Chr. n. saeculo videtur fuisse, eandem, quam Aristoteles, sententiam proposuit. Nam etsi hac in re aut Aristotelem ipsum aut eius fontem, Ctesiam, secutus est, id quod pro certo affirmari omnino nequit, tamen ipsius temporibus falsam de Iaxarte opinionem nondum reiectam esse testis est.

Tanaim autem non semper fluxisse, sed locum unde fluat siccum fuisse ex ea ratione, de qua supra accuratius disputavimus, Aristoteles colligit (Meteor. I 14, 31).

Haec hactenus de Tanai flumine.

Singulas autem gentes circa Pontum habitantes tres praeter Scythas et Thraces in Aristotelis scriptis commemorantur, ex quibus Neuri et Budini ab Aeliano (n. a. XVI 3, 3)

ita afferuntur, ut quamquam verba, quae affert, Aristoteli ipse tribuit tamen num iure ad eum referantur dubium esse potest (fr. 321. 322. 323 R.). Sed si Aristoteli ea tribuamus, certe ad eas Neurorum et Budinorum gentes respicit, de quibus Herodotus saepius agit (IV 17. 51. 109); quas hic quidem a Scythis seiungi vult, Aristoteles autem num idem senserit affirmari nequit. Idemque de Sauromatis dicendum est, quos quidem non esse Scythas Herodotus (IV 21) diserte dicit. Aristotelis autem de eis verba haec sunt (Anim. gen. V 3): *τὰ δ' ἐν τοῖς ψυχροῖς πρόβατα τοὐναντίον πέπονθε τοῖς ἀνθρώποις. οἱ μὲν γὰρ Σκύθαι μαλακότριχες, τὰ δὲ πρόβατα τὰ Σαυροματικὰ σκληρότριχα. τούτου δ' αἴτιον ταὐτὸ καὶ ἐπὶ τῶν ἀγρίων πάντων· ἡ γὰρ ψυχρότης σκληρύνει διὰ τὸ ξηραίνειν πηγνύουσα.* Quae verba ita explicari possunt, quasi Aristoteles hominibus Scythicis oves Scythicas opponat. Sed iam quaestio oritur, cur philosophus si Sauromatas Scythas intellexerit, Sauromaticas, non Scythicas oves hominibus Scythicis, aut cur non Sauromaticis ovibus Sauromatas ipsos opposuerit. Propterea magis mihi arridet interpretatio, eum Sauromatas a Scythis seiunxisse secutum Herodotum, quem Aristotelem tam saepe sequentem invenimus. Hoc certe apparet eum Sauromatas in eisdem fere sedibus frigidis ponere, atque Scythas, unde quid colligendum sit supra exposuimus.

Quod autem ad naturam terrae pertinet, hanc inter frigidas a philosopho numerari iam (p. 49 s.) monuimus; quibus locis, qui l. l. attulimus, alii addendi sunt, quibus eadem sententia exprimitur. Ita An. hist. VIII 25 asinum esse dicit frigoris impatientissimum eaque de causa circa Pontum et Scythiam (*περὶ τὸν Πόντον καὶ τὴν Σκυθικήν*) non gigni, quibus in verbis particula *καὶ* eandem habet significationem explicativam, quam supra (p. 26) statuimus; et prae frigore arietes cornigeri in Scythia cornua non habent (An. hist. VIII 28, 4); grues autem ex frigidis circa Pontum locis et ex Scythiae campis hieme appropinquante in paludes supra Aegyptum sitas commeant (An. hist. VIII 12, 1—2), unde id quoque apparet Aristotelem rectam de campestri Scythiae natura sententiam habuisse. Humido autem aëre Scytharum regiones

utuntur et haec causa est, quod Scythae rectum habent capillum (An. gen. V 8).

Qua in terrae descriptione Aristotelem cum Herodoti tum Hippocratis auctoritatem secutum esse facile comprobari potest. Nam hi quoque hanc terram campestrem et acri hieme vexatam describunt (Herod. IV 19. Hippocr. de aere etc. p. 556 s. K.).

Atque singula, quae de asinis et bovibus cornu carentibus affert Aristoteles, ea aperte ex Herodoto deprompta sunt, non, ut videtur, ex Hippocrate. Hic enim de bovibus solis agit (p. 556 K: *οὐ γὰρ ἔχουσι κέρατα ὑπὸ ψύχεος*), Herodotus autem etiam asinos Scythicum frigus non perferre testis est (IV 28): *ἵπποι δὲ ἀνεχόμενοι φέρουσι τὸν χειμῶνα τοῦτον, ἡμίονοι δὲ οὐδὲ ὄνοι οὐκ ἀνέχονται ἀρχήν.* Potissimum autem ad verba, quae l. l. sequuntur, philosophus respicit; eodemque enim modo uterque meridionalium Libyae regionum boves Scythiae bubus opponit et ut Herodotus suam sententiam, prae frigore Scythiae boves cornua non habere Homeri verbis (Od. IV 85) comprobatam habet, ita Aristoteles quoque (An. hist. VIII 28, 4) eiusdem versus Homerici rationem habet.

Scythas ipsos in bellicosarum gentium numero habet Aristoteles (Pol. VII 2, 5 s.) et huius virtutis exemplum id affert, quod apud eos mos erat, ut cum diem festum agebant, ei qui nullum hostem interfecerat ex poculo, quod circumferebatur, bibere non liceret. Atque de eodem usu Herodotus (IV 69) disserit. Ad nomadum autem vitam respiciunt, quae Aristoteles (An. hist. VI 22, 2. IX 47) de equis Scythicis eorumque praestantia affert.

Aptissimus videtur hic locus, quo de Hyperboreis pauca addamus. Etenim Anim. hist. VI 35 Aristoteles sententiam aliorum, omnes lupos intra duodecim anni dies parere, afferens haec dicit: *τούτου δὲ τὴν αἰτίαν ἐν μύθῳ λέγουσιν, ὅτι ἐν τοσαύταις ἡμέραις τὴν Λητὼ παρεκόμισαν ἐξ Ὑπερβορέων εἰς Δῆλον, λύκαιναν φαινομένην διὰ τὸν τῆς Ἥρας φόβον.* Quibus ex verbis non statim apparet, utrum philosophus Hyperboreos re vera aliquam gentem esse putaverit, an eos fabulares iudicaverit. Neque enim sua, sed fabulam ab aliis

traditam affert. Constat autem discipulum eius, Heraclidem Ponticum, de Hyperboreis egisse; qui vero eius Hyperborei intellegendi sint, inde intellegitur, quod Romam ab Hyperboreis captam esse tradidit (Plut. Camill. 22). Atque Hecataeum Abderitam de Hyperboreis librum scripsisse eosque ipsius temporibus esse iudicavisse scholiasta ad Apoll. Rhod. II 675 tradit (cf. tamen Rohde der gr. Roman p. 213) idemque scholiasta testis est Posidonium Hyperboreos esse et circa Alpes Italiae habitare statuisse, ita ut hos viros Hyperboreorum significationem ad certam quandam gentem rettulisse iudicare cogamur. Neque vero dubium est, quin fabulares illos Hyperboreos a poëtis decantatos re vera non esse iudicaverint, sed potius fabulare illud gentis nomen quasi explicaverint et ad gentem quandam, ut videtur ad Celtas, rettulerint. Idemque sine dubio de Aristotele quoque dicendum est, si modo illam significationem aliter, atque ut gentem illam fabularem indicaret, adhibuit.

De Liguria.

ἡ Λιγυστικὴ Met. I 13, 30. *ἡ Λιγυστικὴ χώρα* Met. II 8, 47. *οἱ Λίγυες* Anim. hist. I 15, 1. (Mirab. ausc. 89. 90. 92.).

Quam regionem Liguriam vocari Aristoteles voluerit, ex Rhodani commemoratione, quae Met. I 13, 30 exstat, apparet: *καὶ περὶ τὴν Λιγυστικὴν οὐκ ἐλάττων τοῦ Ῥοδανοῦ καταπίνεταί τις ποταμός, καὶ πάλιν ἀναδίδωσι κατ' ἄλλον τόπον. ὁ δὲ Ῥοδανὸς ναυσιπέρατός ἐστιν.* Quae verba aliter explicari nequeunt, nisi ita, ut non solum id flumen, quod cum Rhodano comparatur, sed etiam Rhodanum ipsum in Liguria fluere Aristotelem iudicavisse statuamus. Quacum opinione ea, quae Scylax qui dicitur (§ 3 s. Müll. geogr. gr. min. I p. 17 s.) de Liguria affert, aptissime conferuntur, in ea regione, quae orientem versus Iberiam excipiat, Ligures et Iberos inter se mixtos habitare usque ad Rhodanum

flumen; ab hoc autem inde Ligures habitare usque ad Antium oppidum. Herodotus autem ubi Ligures habitent, indicat his verbis (V 9): *Λίγυες οἱ ἄνω ὑπὲρ Μασσαλίης οἰκέοντες.* Aristotelem igitur Liguriam eam regionem significavisse quae sit circa Massiliam et Rhodanum flumen statuendum est. Etenim ut in Auscult. mirab. 83 Massilia Liguriae ipsius oppidum vocatur, ita Stagiritam quoque hanc urbem Liguriae attribuisse inde apparet, quod (Meteor. II 8, 47) de regione quadam Liguriae motu terrae eversa agit; quae verba iam Strabo (IV 182 s.) ad regionem inter Massiliam et Rhodanum flumen sitam refert, quam lapidum plenam esse tradit.

Quem vero fluvium Aristoteles eum intellexerit, quem non minorem Rhodano terra absorberi et alio loco rursus emergere ait, pro certo dici nequit. Sed nescio an hoc loco incerta quaedam notitia superioris Rhodani partis, quae in lacum Lemanum se immittit eumque perfluit, et huius ipsius lacus exstet; illam Rhodani partem ab Aristotele pro proprio flumine habitam esse censendum esset. Quod autem Rhodanum navigabilem esse dicit, hoc a Strabone comprobatur. De ostiis huius fluminis, quae posteriorum scriptorum animos valde occupabant, apud Aristotelem nihil invenitur et omnino Rhodani nonnisi extremae circa ostium partis illis temporibus Graecos scientiam habuisse, inde colligendum est, quod etiam Aristoteles Istrum ex Pyrenaeis fluere iudicat. Omnino se universae istius regionis non certam notitiam habuisse ipse iudicare videtur, cum fabularem quandam narrationem, Ligures septenas habere costas, afferens se ipsum de hac re a nullo exploratae fidei auctore quidquam certum audire potuisse profiteatur (cf. Nissen, ital. Landesk. I p. 468).

Massiliae autem urbis saepius mentionem facit (Polit. V 5, 2. VI 4, 5) et Athenaeus (XIII p. 576) eum de Massiliensium civitate librum conscripsisse testis est, unde eam narrationem affert, quomodo urbs a Phocaeensibus condita sit (cf. fragm. 508 R.).

De Italia.

ἡ Ἰταλία: Polit. II 12, 5. VII 9, 2. 5. Anim. hist. IX 49, 2. VIII 29, 2. Meteor. II 8, 19. de Caelo II 13, 1. fr. 238. 443. 560. R. (mirab. ausc. 55. 78. 85. 95. 97. 102. 103. 108. 130. 148.).
οἱ Ἰταλιῶται: Rhetor. II 23.
οἱ Ἰταλικοὶ: Metaph. I 5, 13. 6, 1. 7, 2. Meteor. I 6, 2.
οἱ Ἰταλοί: Polit. VII 9, 2.

De Italia nobis disputaturis ab eis verbis proficiscendum est, quae sunt Polit. VII 9, 2 s., ubi de conviviis, quae Graeci syssitia vocant, agitur. Quae verba si cum Antiochi Syracusani, quae Dionysius Halic. I 35 affert, eadem de Italo rege tradentis comparabimus, Aristotelem sua cum ex aliis (*φασὶ οἱ λόγιοι τῶν ἐκεῖ κατοικούντων*) tum ex Antiocho demprompsisse Woelfflnum (Antiochus v. Syracus u. Coelius Antipater p. 185.) et Nissenium (ital. Landesk. p. 7 s.) secuti statuere non dubitabimus. Quod recte esse iudicatum imprimis ea verba indicant, quibus et Aristoteles et Antiochus fines Italiae definiunt, hic dicens: *τὴν γῆν ὅση ἐντὸς ἦν τῶν κόλπων τοῦ τε Ναπητίνου καὶ τοῦ Σκυλλητικοῦ*, ille: *ὅση τετύχηκεν ἐντὸς οὖσα τοῦ κόλπου τοῦ Σκυλλητικοῦ καὶ τοῦ Λαμητικοῦ*, ubi Stagirita sinum Napetinum ab Antiocho vocatum a Lameto flumine denominat. Etiam quod Italiam prioribus temporibus Oenotriam vocatam esse novamque significationem ab illo Italo traxisse Aristoteles dicit, cum Antiocho consentit.

Statuit igitur Antiochus Italiae significationem initio ad eam solam paeninsulae Bruttiorum partem pertinuisse, quae pertineat a freto Siculo usque ad isthmum inter duos illos sinus situm. Amplitudinis vero huius regionis definitio quam Aristoteles affert non ad Antiochi librum, sed ad alium fontem mihi videtur referenda esse, cum ne Strabo quidem, ubi eadem ex Antiochi libro affert, eius mentionem faciat (VI 254). Ex eodem autem Strabone l. l. eam quam Aristoteles affert Italiae definitionem antiquiorem esse et recentiorem quoque ab Antiocho commemoratam cognoscimus.

Hanc igitur amplitudinem Italia, quae vocabatur, Antiochi ipsius temporibus (exeunte fere saeculo quinto) habebat;

sequentibus tum verbis eam quam antea habebat explicat, eandem, quam Stagirita affert. Ad eandem hanc antiquiorem hic respicit definitionem, cum l. l. pergit: *ᾤκουν δὲ τὸ μὲν πρὸς τὴν Τυρρηνίαν Ὀπικοὶ καὶ πρότερον καὶ νῦν καλούμενοι τὴν ἐπωνυμίαν Αὔσονες, τὸ δὲ πρὸς τὴν Ἰαπυγίαν καὶ τὸν Ἰόνιον Χῶνες, τὴν καλουμένην Σιρῖτιν*[1]) *ἦσαν δὲ καὶ οἱ Χῶνες Οἰνωτροὶ τὸ γένος*, ex eodem Antiocho haec depromens. Postquam enim antiquiorem definitionem exposuit Strabo l. l., ita pergit: *μετὰ δὲ ταῦτα ἐπεκτείνεσθαί φησι* (sc. Antiochus) *τοὔνομα καὶ τὸ τῆς Ἰταλίας καὶ τὸ τῶν Οἰνωτρῶν μέχρι τῆς Μεταποντίνης καὶ τῆς Σειρίτιδος. οἰκῆσαι γάρ τοὺς τόπους τούτους Χῶνας Οἰνωτρικὸν ἔθνος κατακοσμούμενον καὶ τὴν γῆν ὀνομάσαι Χώνην.* Iam quaestio oritur, cum Aristoteles tantum modo eius amplitudinis, quam 'Italia' antiquioribus temporibus habebat, mentionem faciat atque hanc antiquiorem esse ipse haud nesciat (cf. *ὅση τετύχηκεν οὖσα* etc. *ᾤκουν δὲ τὸ μὲν* etc.), utrum eum Italiae significationis usum, quem Antiochus statuit, adhibuerit, an alium; nam alium quoque fuisse Strabo (VII 209. cf. Dion. Hal. I 73) testis est: *οἱ γὰρ παλαιοὶ τὴν Οἰνωτρίαν ἐκάλουν Ἰταλίαν ἀπὸ τοῦ Σικελικοῦ πορθμοῦ μέχρι τοῦ Ταραντίνου κόλπου καὶ τοῦ Ποσειδωνιάτου διήκουσαν κ. τ. λ.* Hunc autem usum sequitur sine dubio Scylax qui vulgo dicitur, etsi Italiae significationem omnino non adhibet; postquam enim (§ 11) Samnitibus aperte eam regionem tribuit, quam Ptolemaeus Picentinis assignat a Sarno fluvio usque ad Silarum (cf. Müller. geogr. gr. m. I p. 19 ad h. l.), Lucanorum terram excipere Samnitium et usque ad Thuriam pertinere dicit; singulas autem Graecorum in Lucania urbes inde a Posidonia usque ad Rhegium (§ 12) et inde usque ad Sybarin flumen in sinum Tarentinum fluens (§ 13) affert: Heracleam quidem et Metapontum ipsae Iapygiae assignat;

---

[1]) Codices exhibent *Σύρτιν*. Sed Bekkeri coniecturam *Σιρῖτιν* unice veram esse Strabonis verba paulo infra allata clare docent. Neque igitur necessaria et inepta verborum transpositio est, quam fieri Koenigsmannus (l. l. p. 120 adn. 302) vult: *τὸ δὲ πρὸς τὴν Ἰαπυγίαν καὶ τὸν Ἰόνιον* (scil. *κόλπον*) *καὶ τὴν καλουμένην Σύρτιν* (*ᾤκουν*) *Χῶνες* (vel *οἱ Χῶνες*).

neque vero dubium esse potest, quin ad eandem quam Strabo l. l. affert Italiae amplitudinem respiciat. Quod autem Scylax in finibus intra Italiam et Iapygiam definiendis discedit, hoc sine dubio ita intellegendum est, ut hos fines non certos fuisse iudicemus, quippe de quibus a Iapygibus et Graecis Ialiam incolentibus multum videatur certatum esse (cf. Aristot. Polit. V 2, 8. Strabo VI 280). Eandem autem amplitudinem, quam Scylax qui dicitur septentrionem versus statuit, Aristoteles quoque certis verbis videtur indicare, cum dicit: *ᾤκουν δὲ τὸ μὲν πρὸς τὴν Τυρρηνίαν Ὀπικοὶ καὶ πρότερον καὶ νῦν καλούμενοι τὴν ἐπωνυμίαν Αὔσονες*, quibus verbis aperte hanc sententiam proponit, suis quoque temporibus Opicos easdem, quas antea, regiones habitantes Ausones vocari. Antiochus autem (ap. Strab. V 242) tradit in Campania Opicos habitavisse eosque etiam Ausones vocatos esse. Aristotelem igitur suam sententiam proferentem Antiochum sequi et verbis *καὶ νῦν* indicare apparet ea quae Antiochus de Opicorum sedibus statuerit suis quoque temporibus valere. Quacum ratiocinatione aptissime congruit, quod (ap. Dion. Halic. I 72. fr. 567 R.) Achaeorum quosdam Troia navigantes *ἐλθεῖν εἰς τὸν τόπον τοῦτον τῆς Ὀπικῆς, ὃς καλεῖται Λάτιον ἐπὶ τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει κείμενος* narrat et ita Latium partem Opices significat, unde eum nondum, sicut Theophrastum (ap. Athen. II 41 hist. pl. V 8, 1 cf. IV 5, 6), Campaniam Italiae tribuisse intellegitur; nam secundum locum supra laudatum Opici eam regionem obtinent, quae est inter Italiam et Tyrrheniam; ita ut ad Aristotelem quoque et, ut videtur, ad Scylacem pertineant ea, quae Strabo (VII 209) de significatione Italiae disserit, quae Strabonis verba a Nissenio ad quartum a. Chr. n. saeculum medium referuntur (l. l. p. 66). Nam Chonum terram, quam Antiochus (ap. Strab. VI 255) Chonen vocat, suis temporibus Italiae esse Aristotelem putare inde intellegitur, quod dicit: *ἦσαν δὲ καὶ οἱ Χῶνες Οἰνωτροί*, quasi Chones omnino non iam essent, hac ipsa in re Antiochum secutus, qui diserte (ap. Strab. l. l.) Chones Oinotricam gentem fuisse affirmat. Atque etiam Tarentum, quamquam Antiochus (ap. Strab. 254) hanc urbem Iapygiae, non Italiae esse statuit et Strabo (VI 281) praeter Tarentum et Brundisium nulla oppida in Iapygia esse dicit, tamen Aristotelem Italiae, non Iapygiae tribuisse inde suspicor, quod non semel, sed saepius Pythagorei, quos Tarenti quoque quasi principalem sedem habuisse constat (cf. Zeller, Phil. d. Gr. I[4] p. 304 adn.), Italici (*οἱ Ἰταλικοί*) vocantur (Metaphys. I 5, 13. 6, 1. 7, 2. Meteor. I 6, 2) et alio loco (de Caelo II 13, 1) ii nominantur, qui sint circa Italiam (*οἱ περὶ Ἰταλίαν, καλούμενοι δὲ Πυθαγόρειοι*); eundem igitur fere dicendi usum, quem Herodotum (I 24. 94. III 136 IV 15) et Sophoclem (ap. Dion. Hal. I 12), qui Italiam a promunturio Iapygio ad fretum usque Siculum patere statuunt, Aristotelem quoque adhibuisse puto, ita ut in hunc quoque quadret, quod Nissenius (l. l. p. 65) Italiae significationem apud quinti et quarti a. Chr. n. saeculi scriptores ad totam eam paeninsulae partem pertinere statuit, quam Graeci incolebant, et Italiotarum vel Italicorum significationem ad Graecos ipsos. Certe ad Stagiritae tempora referri potest, quod Dionysius Hal. (I 73) et Strabo (VII 209) Italiam certo quodam tempore a Tarento usque ad Posidoniam pertinuisse dicunt.

Ut autem terram extra Italiam propriam sitam Graecos non uno nomine appellavisse Nissenius (l. l. p. 65) demonstrat, ita Aristoteles quoque diversas partes diversis nominibus significat.

Ex urbium autem numero in Italia sitarum hae, quae omnes sunt coloniae Graecae, apud Aristotelem commemorantur:

Elea: Rhetor. II 23, 27.

Rhegium: Polit. II 9, 9. V 10, 4. fr. 527 R. (Oecon. II 2, 20, 6. 7. Mirab. ausc. 73. 130).

Locri Epizephyrii: Polit. II 4, 4. 9, 5. V 6, 7. Rhet. II 21, 8. fr. 433. 504. 505. 509 R. (Mirab. ausc. 178). Hanc urbem unam ex Chalcidicis appellat.

Scylacium urbem quamquam non ipsam commemorat, tamen, cum sinum Scylleticum noverit (Polit. VII 9, 2), etiam urbis notitiam habuisse censendus est, quia sinum ab urbe illa denominatum esse Strabo (VI 261) dicit.

Croton: Metaphys. I 5, 6. Anim. hist. VII 1, 1. Animal. gen. III 2. fr. 65. 477. 541 R. (Mirab. ausc. 107).

Thurii: Polit. V 2, 10. 6, 6. 8 (Mirab. ausc. 169). Aristoteles usurpat formam *Θούριοι*, eandem quam Strabo (cf. VI 263), cum alii, ut Thucydides, forma *Θουρία* utantur (Thuc. VI 61. VII 133).

Sybaris: Polit. V 2, 10. fragm. 541. 542 R. (Eth. Eud. I 5, 10. Mirab. ausc. 96. 107).

Ad Sirin urbem aperte pertinent, quae sunt apud Athenaeum (XII p. 523): *καὶ οἱ τὴν Σῖριν δὲ κατοικοῦντες, ἣν πρῶτον κατέσχον οἱ ἀπὸ Τροίας ἐλθόντες, ὕστερον δ' ὑπὸ Κολοφωνίων . . . ὥς φησι Τίμαιος καὶ Ἀριστοτέλης, εἰς τρυφὴν ἐξώκειλαν οὐχ ἧσσον Συβαριτῶν*, scilicet ad eandem urbem ita vocatam, quam Strabo (VI 264 s.) appallat *Σεῖρις* et ad flumen Sirim sitam Heracleotarum portum fuisse dicit.

Metapontum: Metaphys. I 3, 7. (Eth. Eud. III 1, 17. Mirab. ausc. 108).

Tarentum: Polit. IV 4, 1. V 2, 8. 6, 1. VI 3, 5. An. hist. IX 48, 1. fr. 548. 571 R. (Mirab. ausc. 32. 78. 106. fr. 238 R.).

Lameti autem fluminis notitiam Aristotelem habuisse inde apparet, quod alterum sinum eorum, ad quos usque antiquissima Italia pertinebat, Lameticum ab illo flumine denominatum habet, non, sicut Antiochus, Napetinum.

Orientem versus Italiam excipit Iapygia:

ἡ Ἰαπυγία: Polit. VII 9, 3. fr. 443 R. (Mirab. ausc. 97. 98).
οἱ Ἰάπυγες. Polit. V 2, 8.

Quod Aristoteles in fragmenti l. verbis Iapygiam Italiae partem habere videtur, cum Plutarchus, qui fragmentum servavit, eum tradidisse dicat, Athenienses, de quibus agit, *πρῶτον μὲν εἰς Ἰταλίαν διαπερᾶσαι κἀκεῖ κατοικεῖν περὶ τὴν Ἰαπυγίαν, ἐκεῖθεν δὲ αὖθις εἰς Θρᾴκην κομισθῆναι*, hanc dictionem ad Plutarchum verba Aristotelis non accurate laudantem, non ad hunc ipsum referendum esse puto. Nam si aliter iudicaremus, philosophum Italiae significationem ad totam paeninsulam rettulisse censendum esset, quem usum demum post secundum bellum Punicum exstitisse Nissenius (l. l. p. 67. 73 ss.) demonstrat; Aristotelem vero nondum eum

adhibuisse vel id indicat, quod apud Dionysium Halic. (I 72) Latium *τόπον τῆς Ὀπικῆς* dicit, non Italiae.

Iapyges autem paullo post bellum Persarum contra Tarentinos pugnavisse eosque vicisse Aristoteles (Polit. V 2, 8) testis est; et ad eosdem Iapyges pertinet, quod (fragm. 571 R.) Tarentinos Alexandrum regem Molossorum contra barbaros arcessivisse narrat, de qua re agens Strabo (VI 280) contra Messapios et Lucanos Tarentinos ab Alexandro adiutos pugnavisse dicit. Monendum autem est apud Aristotelem nullam earum significationum ad Iapygiae incolas pertinentium inveniri, quae aut iam ante eum Herodotus (VII 170) et Thucydides (VII 33), qui eos Messapios vocant, aut post eum auctor libri de Mirab. ausc. (109) et Timaeus (fr. 13—15. fr. hist. gr. I Müll.), qui de Dauniis agunt, adhibuerunt, quas significationes postea omnino pervulgatas esse satis notum est.

Septentriones versus prope mare Tyrrhenum Opicen sitam esse Aristoteles putat, qua significatione Campaniae et Latii regionem nominat (Polit. VII 9, 3): *ᾤκουν δὲ τὸ μὲν πρὸς τὴν Τυρρηνίαν Ὀπικοὶ καὶ πρότερον καὶ νῦν καλούμενοι τὴν ἐπωνυμίαν Αὔσονες.* Quibus in verbis significatio Tyrrheniae utrum ad mare Tyrrhenum an ad terram a Tyrrhenis incultam pertineat primo quidem dubium esse potest; nam ut de Mirab. ausc. 193 dicitur: *ἐν δὲ τῇ Τυρρηνίᾳ λέγεταί τις νῆσος Αἰθάλεια κ. τ. λ.*, ita haec verba explicare possumus *πρὸς τὴν Τυρρηνίαν θάλασσαν.* Campania enim et Latium Tyrrheno mari alluuntur. Sed ut Herodotus (I 94. 163. VI 22) significatione *Τυρσηνίη* aperte terram vocat, id quod etiam de auctore capitis 94 libri de Mir. ausc. dicendum est (*ἔστι δέ τις ἐν Τυρρηνίᾳ πόλις Οἰναρία καλουμένη*), ita Aristotelem quoque ad terram respicere vel inde intellegitur, quod in sequentibus verbis Tyrrheniae Iapygiam opponit. Id quoque monendum est eum alio loco (Meteor. II 1, 13) Tyrrhenum mare verbis *ὁ Τυρρηνικός* sc. *κόλπος* significare (cf. fragm. 567 R.: *Λάτιον ἐπὶ τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει*). — Putabat igitur Opicen a septentrione Tyrrheniam attingere eodem modo, quo Scylax (§ 8) dicit: *Τυρρηνίας ἔχονται Λατῖνοι μέχρι τοῦ Κιρκαίου.* Latii autem significatione (l. l. ap. Dion. Hal.) *τὸν τόπον τοῦτον*

τῆς Ὀπικῆς, ὃς καλεῖται Λάτιον, ἐπὶ τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει κείμενος indicatur, quam incerta Aristotelis temporibus notitia regionis extra Magnam Graeciam sitae fuerit.

Una autem, quam commemorat, Opices urbs est Roma; exstat autem huius urbis commemoratio in Plutarchi verbis supra laudatis. Iniuria igitur Plinius (n. h. VII, 9) ante Theopompum neminem scriptorum graecorum Romae urbis notitiam habuisse censet. Num autem Aristoteles plus de Romanis sciverit, non liquere Schweglerus (Röm. Gesch. I p. 4) recte censet, cumque ea, quae de capta urbe affert, auditu se accepisse ipse dicat, Romae notitiam omnino incertam eum habuisse iudicandum est. Certe eum non de Romanis quoque in 'Politicis' suis egisse ex Plinii sententia modo laudata Beckerus (röm. Altert. I p. 37) iure colligit. Sed hoc sine dubio iniuria a Koenigsmanno (l. l. p. 117 adnot.) etsi coniectando solum proponitur Aristotelem Romam urbem Tyrrheniae adscripsisse. Etenim cum Latium ipsum certis verbis a Tyrrhenia discernat et Opices esse dicat, vix dubitandum est, quin Romam Latii urbem esse sciverit, cum praesertim ipsa eius aetate Romani contra Etruscos feliciter pugnarent et Latinos imperio suo subicere coepissent. Ad Opicen quoque ea quae de campo qui dicitur Phlegraeo affert (Meteor. II 8, 47) referenda sunt. Etenim sine dubio hos campos Phlegraeos intellegit eos, quos circa Capuam et Nolam sitos ita nominatos esse Polybius (II 17 III 91) et Strabo (V 243) auctores sunt. Aristoteles autem primus hos campos commemorat et ea, quae de lapidum multitudine terrae superficiem obtegentium affert, haud inepte dicta esse ex Nissenii huius regionis descriptione (l. l. p. 267 s.) intellegitur.

Ultra Opicen Tyrrhenia sita erat, a septentrionibus Ligysticen attingens.

Τυρρηνία: Polit. VII 9, 2. (Oicon. II 2, 20, 9 de Mir ausc. 94. fragm. 566 R.).

Τυρρηνοί: Polit. III 5, 10. fr. 185. 565. 566. (de Mir. ausc. 93).

Forma *Τυρρηνία* apud Aristotelem sola invenitur, cum apud alios, ut Thucydidem et Herodotum, forma *Τυρσηνία*, apud Scylacem utraque exstet.

Quod vero Aristoteles (fragm. l. l.) Tyrrhenos una cum mulieribus sub eodem amiculo accumbentes epulari affert eundemque morem Romanis fuisse Plutarchus (quaest. symp. I 3) testis est, inde philosophum Tyrrhenos Romanos intellexisse Koenigsmannus (l. l. p. 118) iniuria colligit; nam veteres Romanos non accumbendi usum adhibuisse, sed sedentes epulatos esse, atque, cum ille mos irrepere coepisset, initio viros solos epulantes discubuisse, feminas vero sedisse in libro de vita populi Romani Varronem tradidisse Isidorus (Orig. XX 11, 9) et Servius (ad Verg. Aen. III 176) testes sunt (cf. Becker, r. Altert. V p. 308). Aristoteles igitur, cum illa de Tyrrhenis scripsit, de Romanis cogitare non potuit; similia autem atque eadem fere Theopompus (fragm. 222 Müll.) de eisdem Tyrrhenis ipsis tradit. Neque rectius Koenigsmannus l. l. de societate, quam inter Tyrrhenos et Carthaginienses factam esse Aristoteles tradit (Polit. III 5, 10), disserit; neque enim de eis foederibus cogitandum est, ut ille vult, quae a Carthaginiensibus cum Romanis facta esse Polybius (III 22) auctor est, sed hoc foedus, quod Aristoteles affert, ab ipsis Etruscis cum Carthaginiensibus ad Graecorum potentiam frangendam initum esse saeculo a. Chr. n. sexto Mommsenus (R. Gesch. I[7] p. 142 s.) docet, idemque est, ad quod Herodotus (I 166) respicit.

Restant Umbri, quos quidem in qua Italiae regione sedisse philosophus iudicaverit non apparet, cum uno solo loco eorum mentionem faciat (Met. II 3, 42) his verbis: *τοιοῦτον δ' ἕτερον γίνεται καὶ ἐν Ὀμβρικοῖς· ἔστι γάρ τις τόπος ἐν ᾧ πεφύκασι κάλαμος καὶ σχοῖνος· τούτων οὖν κατακαύουσι καὶ τὴν τέφραν ἐμβαλόντες εἰς ὕδωρ ἀφέψουσιν. ὅταν δὲ λίπωσί τοῦ ὕδατος, τοῦτο ψυχθὲν ἁλῶν γίνεται πλῆθος.* Neque enim dici potest, ad quem locum hoc, quod de sale faciendo affertur, referendum sit. Herodotus autem, qui primus Umbrorum mentionem facit, eis universam Italiae quae nunc est regionem septentrionalem tribuit, cum ex eorum terra Carpim et Alpim flumina septentrionem versus fluere et in Istrum se immittere dicit. Atque recte Herodotum ita

statuisse, Spina et Atria urbes testimonia sunt, quarum nomina Umbrica sunt (cf. Mommsen R. G. I[7] p. 112): atque hanc quidem urbem Aristoteles quoque commemorat, cum duobus locis de Adrianis gallinis agat (An. hist. VI 1, 1. An. gener. III 1); quamquam enim, quas gallinas Adrianas intellegat, dici nequit (cf. Arist. Zeugung und Entwickel. d. Tiere ed. Aubert et Wimmer p. 216), tamen illi loci sine dubio ad urbem illam Atriam referendi sunt. Aristotelis autem temporibus Umbri iam ea loca tenebant, quae postea quoque ab eis denominata sunt, atque Scylax (§ 16) et Theopompus (fr. 142 Müll.) aperte haec eis tribuunt. Stagiritam vero, quippe qui Istri partem in Adriaticum mare fluere auctor sit, illius regionis circa recessum huius maris sitae omnino imperitum fuisse tenendum est.

Haec hactenus de Italia; iam de insulis, quae circa eam sitae sunt, disserendum est.

De Sicilia.

ἡ Σικελία: Rhetor. III 10, 7. Poet. 3. 23. Polit. I 4, 7. II 7, 2. V 10, 4. Anim. hist. III 17, 3. 20, 5. VII 6, 4. VIII 28, 2. Meteor. II 3, 46. 8, 9. fr. 560 R. (de Mundo 3. Mir. ausc. 28. 40. 55. 57. 81. 82. 105. 111. 130. 148. 172. fr. 238 R.).

Σικελικός: An. hist. V 8, 3. Meteor. II 1, 13. fr. 467. 547 R. (Mir. ausc. 112).

Σικελιώτης Mir. ausc. 110. fr. 467 R.

Quod Nissenius (l. l. p. 547) ab eis rerum scriptoribus qui nullum discrimen inter Siculorum et Sicanorum significationem faciant eos discernit, qui neque has easdem esse gentes nesciant et Sicanos autochthones putent, Aristotelem in horum numerum adscribendum esse monendum est (cf. Met. II 3, 45). Atque Antigonus Carystius c. 154 affert ex Lyco Rhegino sua hauriens: *Λύκον δὲ Ῥηγῖνον λέγειν τὴν μὲν ἐν τῇ Σικανῶν χώρᾳ φέρειν ὄξος, ὥςπερ ἐπὶ τῶν ἐδεσμάτων χρῶνται,* unde statim hoc aperte colligendum est, aut Lycum sua ex Aristotelis loco deprompsisse, aut, id quod mihi magis arridet, utrumque ex eodem fonte, hoc est ex aliquo rerum Siculàrum scriptore hausisse; contra quae Theophrastus (ap. Athen. II p. 62 e) de eodem Sicaniae fonte affert: *πολλαχοῦ δ' εἰσὶ κρῆναι αἱ μὲν ποτιμώτεραι καὶ οἰνωδέστεραι . . . ἁλμώδεις δ' ἅμα τῷ ὄξει ἐν Σικανοῖς τῆς Σικελίας*, haec sine dubio ad Aristotelem referenda sunt. Quamquam regio, quae Sicania nominabatur, certioribus finibus circumscribi nequit, tamen ex Thucydide (VI 62, 3) cognoscimus Sicanos circa Agrigentem habitavisse et Hyccara urbem Sicanorum fuisse: cum illa sententia ea, quae Aristoteles de Sicania profert, consentiunt; vix enim dubium est, quin haec ad regionem circa Himeram flumen in Libycum mare fluens sitam referenda sint, quod flumen, ut Diodorus (XIX 109) auctor est, salsa aqua utebatur et etiam nunc utitur eaque de causa 'Fiume Salso' nominatur. Salsitudo autem aquae ad regionem circa flumen ipsum sitam et sale refertam referenda est (cf. Nissen l. l. p. 350). Quodsi Aristoteles hanc regionem Sicanicen vocat, certe eundem usum adhibet, quem Thucydides Agrigentum urbem Sicanorum vocans. Strabo autem (VI 275) Selinuntias quoque Thermas salsas esse eodemque modo aquam lacus prope Agrigentum siti salsum gustum praebere auctor est, ut ad hanc quoque regionem verba Aristotelis non iniuria referri possint. Videntur igitur Sicani occidentalem fere Siciliae regionem obtinuisse (cf. Nissen l. l. p. 547 ss.). Certe hoc, quod supra monuimus Aristotelem inter Siculos et Sicanos discerni velle secutum hac quoque in re sine dubio Antiochum (cf. Diod. V 2, 4. Nissen l. l. 547 adn. 3), ex illo Meteorologicorum loco colligendum est.

Urbes autem Siciliae quae in scriptis Aristotelis genuinis commemoratae inveniuntur sunt hae:

Zancle: Polit. V 2, 10: *Ζαγκλαῖοι.* Alterum huius urbis nomen Messana exstat Problem. XXIII 5, ubi codices exhibent *Μεσήνῃ*. Herodotum quidem hanc significationem eo loco solo adhibere, ubi quomodo Zancle novum acceperit nomen narrat, Scylacem contra (§ 13 M.) modo Messenen urbem nominare monendum est.

Catana: Polit. II 9, 5. Aristoteles hanc urbem in Chalcidicarum coloniarum numero habet.

Leontini: Polit. V 8, 4. 10, 4. Hoc posteriore loco urbs in antiquis Siciliae oligarchiis ducitur. An. hist. III 17, 3 de pabuli ubertate agitur, qua regio circa Leontinos sita tantopere utitur, ut Cicero eam caput rei frumentariae nominet (in Verr. III 47).

Syracusae: An. hist. VI 2, 3. Polit. I 2, 22. 4. V 3, 1. 6. 5, 6. 8, 4. 10, 3. 9, 5. 23. 3. (Mirab. ausc. 56. 172. Rhet. ad Alex. 8, 3.).

Συρακο(ύ)σιος: Polit. III 10, 10. V 2, 11. 8, 18. Rhetor. II 6, 20. fr. 543. 544. 545—47 R. (Oicon. II 2, 20. Problem. III 15. Rhetor. ad Al. 8, 3. 29, 2. 32, 4.). *Συρακουσίων πολιτεία* fr. l. l.

Gela: Polit. V 10, 4. fr. 444 R.

Agrigentum: de Caelo I 10, 2. Polit. II 7, 2. fr. 436 R. Polit. l. l. Camicum urbis arcem affert ibique Minoem mortuum esse narrat; idem Herodotus (VII 170) statuit Camicum urbem ipsam vocans eam, quam ipsius temporibus Agrigentini incolerent.

Himera: Rhetor. II 20, 5. *Ἱμεραίων πολιτεία* fr. 467 R. Poët. 23, 3.

Quas urbes cum omnes fere Aristoteles afferat, ubi de diversis rei publicae administrandae rationibus agit cumque illarum urbium administrationibus utatur exemplis, haec quoque eum imprimis ex Antiocho sumpsisse non iniuria statuere videmur; nam Antiochum in libro de Italia conscripto plura de civitatibus Italiae diversis verba fecisse ex Dionysio Halic. (a. r. I 12) scimus (cf. Woelfflin l. l. p. 9), ut eandem describendi rationem etiam in libro de Sicilia conscribendo eum adhibuisse censendum sit.

Universam autem Siciliae naturam atque indolem Aristoteles recte describit, cum insulam in eis regionibus numerat, *ὅπου ἡ θάλασσα ῥοώδης ἢ ἡ χώρα σομφὴ καὶ ὕπαντρος* (Meteor. l. l.). Ut autem iam saepius Aristotelem Antiochi auctoritatem sequentem invenimus, hic quoque locus ad hunc referendus videtur. Nam apud Thucydidem (IV 24, 4) ubi de Charybdi quae dicitur agitur et Woelfflinus (l. l. p. 13) non iniuria Antiochi vestigia invenisse sibi videtur, vox *ῥοώδης* ad maris per fretum Siculum fluentis naturam describendam adhibetur, quam vocem apud Thucydidem hoc uno loco inveniri Woelfflinus auctor est; atque apud Aristotelem praeter hunc de quo agimus locum uno tantummodo alio (An. hist. IX 37) exstat; cum igitur verbis *ὅπου ἡ θάλασσα ῥοώδης* aperte ad fretum Siculum et ad Charybdim imprimis, quae dicitur, respiciat, eum cum haec scriberet, Antiochi huius loci descriptionem eandem, quam Thucydidem l. l., ante oculos habuisse colligendum videtur. Verba autem *ἡ χώρα σομφὴ καὶ ὕπαντρος* eandem sententiam indicant, quam Strabo exprimit (VI 274) his verbis: *ἅπασα δ' ἡ νῆσος κοίλη κατὰ γῆς ἐστι, ποταμῶν καὶ πυρὸς μεστή*, et uterque ad hanc insulae naturam illud refert, quod eruptionibus igneis et aliis eiusmodi rebus abundat. Aristoteles enim l. l. talibus locis, qualem Siciliam describit, acerrimas terrae motiones fieri statuit addens: *δοκεῖ γὰρ διαυλωνίζειν ὑπὸ τὴν γῆν ἡ θάλασσα.*

Ad Siciliam propter naturam terrae magis, quam ad Italiam ipsam Aeoliae quae vocantur insulae pertinent (cf. Nissen l. l. p. 272). Hae insulae propter ignis exhalationes veteribus valde memorabiles visae sunt et de hac quidem re disserens Aristoteles quoque eas commemorat (Met. II 8, 18 ss.), ubi vox *νεωστὶ* hanc de qua agitur eruptionem indicat non multo ante, quam Aristoteles haec scripsit, factam esse, et Nissenius (l. l.) eam circiter anno a. Chr. 330 factam esse statuit; Hiera autem insula prope Mylas sita et omnium Aeoliarum insularum Siciliae proxima est. Quod vero Aristoteles cinerem erumpentem circa Liparam, quae insula illam proxime attingit, et Italiae urbes diffusum esse ait, hoc minime dubitandum est et eo comprobatur, quod cinerem ex Vesuvio expulsum anno p. Chr. n. 1538 per quindecim millia diffusum esse Nissenius (l. l. p. 267) testis est. Eodem cinere ex Hierae monte expulso paullatim haec insula cum Lipara quasi ponte coniuncta est, de qua re iam Strabo (VI 275): *ἐκ δὲ τοῦ μεγίστου (κρατῆρος καὶ μύδρους αἱ φλόγες ἀναφέρουσιν, οἳ προσκεχώκασιν ἤδη πολὺ μέρος τοῦ πόρου.*

Ceterarum autem minorum insularum nomina apud Aristotelem non inveniuntur.

Idemque dicendum est de Corsica insula, cum Sardiniae insulae uno loco (Ausc. phys. IV 11, 1) mentio fiat, sed nihil affertur, quod ad chorographiam huius insulae pertineat; cumque de mari ab ea denominato iam disputatum sit, Italiae descriptionis hic finis faciendus et ad Illyriam transeundum est.

De Illyria.

ἡ Ἰλλυρίς: An. hist. VIII 28, 5.

οἱ Ἰλλυριοί: An. hist. II 1, 8. Poet. 26, 14. (Mirab. ausc. 22. 128. 138.)

An. hist. VIII 28, 5 Illyriam inter frigidas Europae regiones ita numerat, ut eam a Scythica et Celtica quippe frigidissimis regionibus discernat. Postquam enim de diversitate, quae inter Europae atque Asiae et Libyae animalia intercedat, disseruit, eiusque rei causam cibum et pabulum, quo in aliis regionibus alio utantur, attulit, ita pergit: *πολλαχοῦ δὲ καὶ ἡ κρᾶσις αἰτία, οἷον ἐν τῇ Ἰλλυρίδι καὶ τῇ Θρᾴκῃ καὶ τῇ Ἠπείρῳ οἱ ὄνοι μικροί, ἐν δὲ τῇ Σκυθικῇ καὶ Κελτικῇ ὅλως οὐ γίνονται. δυσχείμερα γὰρ ταῦτα.* Unde apparet ut Aristotelem inter Europae regiones frigidas et Asiae atque Libyae calidas discernere supra vidimus ita eum hoc loco inter Europae ipsius regiones discernere frigidissimas et minus frigidas: illas habet Celticen et Scythicen, has Illyriam, Thraciam, Epirum. Atque cum Graeciam inter frigidas Europae et calidas Asiae regiones medium tenere locum persuasum habeat (cf. supra p. 25 ss.), a vero vix declinabimus, si eum in Europa tres quasi tractus diverso caelo et temperatura quam dicunt utentes, qui recta fere linea ab occidente orientem versus pertinerent, statuisse et in tertio tractu praeter Graeciam etiam Italiam et Hispaniam sitas esse iudicavisse — Hispaniam quidem *πρὸς δυσμὴν ἰσημερινὴν* sitam esse eum recte statuere supra monuimus (p. 47) —

colligemus; quae si recte exposita sunt, hoc quoque loco prima quasi elementa exstare iudicandum est eius rationis, quam Dicaearchus recta linea terram quae habitetur in duas partes dividens adhibuit et excoluit.

Secundum Scylacem qui dicitur, apud quem primum certiora de finibus Illyriae indicia inveniuntur, haec terra a septentrione Liburniam attingit, meridiem autem versus usque ad Ceraunios montes pertinet, cumque Aristoteles huic scriptori fere aequalis fuerit, eandem de his finibus sententiam eum habuisse et Epidamnum et Apolloniam, quas huius regionis urbes solas affert, item ac Scylacem Illyriae adscripsisse recte suspicari posse videamur. Sed aliter videtur res se habere.

Etenim primum hoc monendum est Strabonem duas Illyriae definiendae videri adhibere rationes, cum in terra ipsa describenda (VII 313 ss.) duas illas urbes in Illyriis oppidis enumerandis fere extremas afferat (VII 316), ut eandem videatur atque Scylax adhibere rationem, qui has urbes in Taulantiorum, gentis Illyricae, finibus ponit (§ 26 M.), verum ad Epirotarum fines describendos adgrediens primas eorum regiones circa Epidamnum et Apolloniam sitas esse statuit (VII 322 § 4), quocum congruit, quod aliis locis (II 134 XVI 764) Apolloniam quidem Epiroticum oppidum vocat.

Aristoteles autem (Meteor. II 3), ubi de salis natura agit, § 39 de Palaestinae lacu Asphaltite et de Chaoniae quodam fonte verba facit.

Cui lacus Asphaltitae et fontis Chaoniae descriptioni Aristotelis si conferimus eum Strabonis locum (XVI 763 s.), ubi de illo lacu disserit, primum id mirationem movet, quod Posidonius, quem sequitur, eodem ordine eodemque nexu, quo Aristoteles, primum de lacu Asphaltite et de loci cuiusdam prope Apolloniam siti natura simillima disputat; namque Strabo postquam (l. l. § 43) Posidonii de lacu verba attulit, haec addit: *τοιαῦτα δὲ καὶ τὰ ἐν Απολλωνίᾳ τῇ Ἠπειρώτιδι.* Quae verba ipsa quoque sine dubio Posidonio tribuenda sunt, cuius de Apollonia disputationem Strabo iam libro VII (316 § 8) attulit (*ἐν δὲ τῇ χώρᾳ τῶν Ἀπολλωνιατῶν — ὥς φησι Ποσειδώνιος*); atque apud Posidonium has

de lacu Palaestinae et de Apolloniae fonte disputationes alteram alteri adnexas fuisse neque vero solum has duas inter se coniunctas fuisse sed etiam ea, quae Strabo l. l. de Seleucia et Rhodo ex eodem Posidonio affert, eodem loco apud Posidonium post illas descriptiones exstitisse statuendum puto.

Qua in re hoc mirum est, quod hic in describendis his regionibus eundem, atque Aristoteles, ordinem ita servat, ut cum Posidonium in quaestionibus instituendis inter alios imprimis Stagiritam secutum esse constet (cf. Strab. II 162), eum hac quoque in re Meteorologicorum locum ante oculos habuisse videatur censendum esse.

Sed quominus ita iudicemus, alterum, quod in Aristotele et Posidonio comparandis mirum esse dico, prohibet. Etenim ut Aristoteles in regionibus illis describendis tantum modo salsitudinis aquae, ita Posidonius nonnisi asphalti quem Graeci vocant et picis rationem habet, unde eos ad regiones plane diversas respicere videtur colligendum esse, praesertim cum Apollonia non Chaoniae, sed Illyriae urbs fere habeatur. Sed Strabonem quoque (II 134) et Posidonium (ap. Strab. XVI 764) Apolloniam vocare Epiri oppidum iam antea monuimus et ad eandem Epiri regionem utrumque respicere inde colligendum puto, quod, ut exposuimus, in describendis locis eundem ordinem adhibent. Quacum sententia aptissime congruunt ea, quae Aristoteles de Hercule ex Erythia vaccas agente affert; namque imprimis ad regionem circa Apolloniam et Oricum sitam multae fabulae, in quibus de Hercule et Geryone eiusque et Solis vaccis agitur, pertinent (cf. Preller, Griech. Mythol. II p. 205 s.). Ad eundem igitur locum et Aristotelem de Chaoniae fonte agentem et Posidonium Apolloniam significantem respexisse magnam habet veri similitudinem, neque vero, ut diximus, ita ut Posidonium ab Aristotele pendere censeamus.

Quae cum ita sint, utriusque disputationem ad eundem fontem referre non dubito. Atque Aristoteles quidem unde sua hauserit, ipse indicat, cum eo Meteorologicorum loco, ubi ad rationes suas comprobandas primum certa affert loca (I 13, 14), dicit: *δῆλον δ' ἐστὶ τοῦτο θεωμένοις τὰς τῆς γῆς*

περιόδους. ταύτας γὰρ ἐκ τοῦ πυνθάνεσθαι παρ' ἑκάστων οὕτως ἀνέγραψαν, ὅσων μὴ συμβέβηκεν αὐτόπτας γενέσθαι τοὺς λέγοντας, ubi ut extremis verbis *ταύτας γὰρ κ. τ. λ.* imprimis ad Herodotum videtur respicere, ita terrae circuitus, quos affert, de Hecataei aliorumque eiusmodi libris cogitare nos cogunt.

Nostro quidem loco Herodoti ratio abicienda est; etenim nihil apud eum de lacu Palaestinae, nihil de Chaoniae vel Apolloniae fonte.

Verum eadem de Chaoniae fonte Antigonus Carystius (cap. 143 Kell.) affert: *ἐκ δὲ τῆς περὶ Χαονίαν ὅταν ἀφεψηθῇ τὸ ὕδωρ, ἅλας γίνεσθαι (Θεόπομπόν φησι Καλλίμαχος γράφειν)*. Ad verbum igitur fere Theopompi locus cum Aristotele congruit, sed alterum ab altero pendere vix est censendum ea de causa, quia plane aequales sunt. Utrumque igitur sua ex alio, sed eodem fonte hausisse iudicandum est. Ex Theopompo autem ipso ea, quae Plinius de eadem re affert (n. h. XXXI 7 p. 560), exscripta esse iudico; dicit enim l. l.: 'in Chaonia excoquunt aquam ex fonte refrigerandoque salem faciunt inertem nec candidam.' Quamquam enim verba 'salem faciunt inertem nec candidam' Aristotelis sententiam accurate exprimunt dicentis: *εἰσὶ δὲ τὴν δύναμιν ἀσθενέστεροι τῶν ἄλλων (οἱ ἅλες) ... καὶ τὴν χρόαν οὐχ ὁμοίως λευκοί*, quae sententia apud Antigonum Carystium Theopompi verba referentem non exprimitur, tamen Plinium non ab Aristotele, sed a Theopompo pendere et huius verba minus accurate apud Antigonum expressa esse ea de causa statuendum videtur, quia, ut infra videbimus, Plinius multis ac paene omnibus locis, ubi de Epiro agit, Theopompum se sequi ipse indicat. Ut autem illo Plinii loco modo ea exstant, quae Theopompus de 'Chaoniae fonte' attulerat, ita aliis locis de Apollonia ipsa disserit, quorum principalis est Plin. n. h. II § 236, ubi haec sunt: 'et iuxta gelidum fontem semper ardens Nymphaei crater dira Apolloniatis suis portendit, ut Theopompus tradidit; augetur imbribus egeritque bitumen temperandum fonte illo ingustabili, alias omni bitumine dilutius'. Hoc loco nomen crateris 'Nymphaeum', quod ipsum Posidonius affert (ap. Strab. VII

316: *ἐν δὲ τῇ χώρᾳ τῶν Ἀπολλωνιατῶν καλεῖταί τι Νυμφαῖον κ. τ. λ.*), exstare monendum est; praeterea animadvertendum est Theopompum inter duos locos ad Apolloniam sitos aperte discernere et fontem gelidum a cratere, cui nomen est Nymphaeo, seiungere, Posidonium contra nonnisi de cratere agere, non de gelido illo fonte; nam fontes, quos commemorat, alii, quippe calidi, sunt; propter Nymphaei autem commemorationem mihi quidem non dubium est, quin Posidonius quoque sua ex Theopompo hauserit, sed ita, ut modo crateris asphaltum efferentis rationem habeat. Quae vero l. l. de Seleuciae et Rhodi regionibus affert, ea certe ipse oculis suis vidit; nam Apamea, ubi natus est, a Seleucia prope abest et in Rhodia insula ipse diu commoratus est.

Ad eundem autem cratera prope Apolloniam situm ea quoque, quae Plinius ex Theopompo affert (XVI § 59), referenda sunt: 'Theopompus scripsit in Apolloniatarum agro picem fossilem non deteriorem Macedonica inveniri' et alio loco (XIV § 41): 'est et pissasphaltos mixta bituminis pice naturaliter ex Apolloniatarum agro.' Atque ad Theopompum eum quoque Plinii locum (XXXV § 178), qui gravissimus est, referre minime dubito, quo et de Palaestinae lacu et de Apolloniatico bitumine agitur. Est autem hic: 'Et bituminis vicina natura est; aliubi limus, aliubi terra est; limus e Iudaeae lacu, ut diximus, emergens, terra in Syria circa Sidonem, oppidum maritimum. Spissantur haec utraque et in densitatem coëunt. Est vero liquidum bitumen, sicut Zacynthium et quod a Babylone invehitur. Ibi quidem et candidum gignitur. Liquidum est et Apolloniaticum, quae omnia Graeci pissasphalton appellant ex argumento picis ac bituminis. Gignitur et pingue oleique liquoris in Sicilia Agrigentino fonte inficiens rivom; incolae id harundinum paniculis colligunt etc.' Haec ad Theopompum referenda esse potissimum propter Apolloniatici bituminis commemorationem puto, et confirmari censeo hanc sententiam verbis 'quae omnia Graeci pissasphalton appellant', quae haec ex Graeco fonte sumpta esse declarant.

Habemus igitur hoc uno loco et lacus Palaestinae et bituminis Apolloniatici commemorationem, etsi non eodem ordine, quo apud Posidonium et Aristotelem hae regiones afferuntur; at non Theopompi ipsius disputationem ipsam, sed a Plinio relatam habemus.

Referamus iam, si placet, paucis verbis, quae adhuc videntur enucleata esse. Atque primum quidem statuimus Aristotelem et Theopompum, quae de Chaoniae fonte afferunt, ex eodem fonte hausisse. Porro ad Theopompum non solum quae Plinius, sed etiam quae Posidonius de bitumine Apolloniatico affert, referenda esse censuimus. Iam ex eodem Theopompo ea quoque, quae Plinius verbis extremo loco allatis de Palaestinae lacu et bitumine asphaltico profert, hausisse et Theopompum eodem ordine, quem et Posidonius et Aristoteles adhibent, de his rebus disputavisse iudicamus.

Iam quaestio oritur, unde Aristoteles et Theopompus, cum alterum ab altero pendere vix veri simile sit, sua videantur deprompsisse. Quam ad rem diiudicandam magni momenti est libri qui Aristotelis nomine fertur de mirabilibus auscultationibus cap. 127, ubi de eodem illo bitumine Apolloniatico agitur.

Quem locum ex Theopompo exscriptum esse ex Plinii loco supra laudato (XVI § 59) clare apparet, ubi haec sunt: 'Theopompus scripsit in Apolloniatarum agro picem fossilem non deteriorem Macedonica inveniri (*ἄσφαλτον ὀρυκτὴν καὶ πίσσαν* — picem fossilem: *οὐδὲν διαφέρουσαν τῆς Μακεδονικῆς* — non deteriorem Macedonica). Monendum autem est hoc loco salis quoque rationem habere Theopompum (*ὄζει δὲ θείου καὶ στυπτηρίας*). Extrema autem eius loci verba, quae non ex Theopompo hausta esse nihil est cur putemus, vestigia eius fontis praebent, unde Theopompus sua hausit, dico verba: *καίεται δὲ καὶ συνεχῶς περὶ Λυκίαν κ. τ. λ.* Ad quem Lyciae locum haec verba pertineant, Plinius indicat (V c. 27 p. 273): 'mons Chimaera in Lycia noctibus flagrans, Hephaestium civitas, et ipsa saepe flagrantibus iugis.' Est igitur is mons, de quo Strabo (XIV 665) agit: — *ὁ Κράγος ἔχων ἄκρας ὀκτὼ καὶ πόλιν ὁμώνυμον. περὶ ταῦτα μυθεύεται τὰ ὄρη τὰ περὶ Χιμαίρας. ἔστι δ' οὐκ ἄπωθεν καὶ ἡ Χίμαιρα φάραγξ τις ἀπὸ τοῦ αἰγιαλοῦ ἀνατείνουσα.* Ad quem autem fontem primarium haec, quae

et Theopompus (in libr. de Mir. ausc. l. l.) et Plinius l. l. de Lyciae monte semper ardente afferunt, referenda sit, et Plinius indicat, cum alio loco (II c. 106) de eadem re disserens haec dicit: 'flagrat in Phaselitide mons Chimaera et quidem immortalibus diebus et noctibus flamma. Ignem eius accendi aqua, exstingui vero terra aut foeno Cnidius Ctesias tradit', et locus, qui est in Antigoni historiarum mirabilium collectione c. 166, ubi haec leguntur: *περὶ δὲ πυρὸς Κτησίαν φησὶν ἱστορεῖν ὅτι περὶ τὴν τῶν Φασηλιτῶν χώραν ἐπὶ τοῦ τῆς Χιμαίρας ὄρους ἐστὶ τὸ καλούμενον ἀθάνατον πῦρ. τοῦτο δὲ ἐὰν μὲν εἰς ὕδωρ ἐμβάλῃς καίεσθαι βέλτιον, ἐὰν δέ φορυτὸν ἐπιβαλὼν πήξῃ τις, σβέννυσθαι.* Atque Ctesiae ipsius fere verba de hac re Photius (72 p. 144 ss.) nobis servavit.

Ut autem Theopompi verba l. l. de Lyciae igne perenni ad Ctesiam referenda sunt, ita ex eodem Ctesia priorem quoque loci partem sumptam esse optimo iure censebimus, unde vel hoc sane colligendum est, eum quoque Plinii locum, quem supra vidimus Theopompo tribuendum esse, ubi etiam de Palaestinae lacu agit, ad Ctesiam referendum esse. Atque haec quidem sententia eo fulcitur, quod in illo Plinii loco eiusdem bituminis Zacynthii mentio fit, ad quod Ctesias (apud Photium) respicit his verbis: *καὶ ἐν Ζακύνθῳ κρηνῖδας ἰχθυοφόρους εἶναι ἐξ ὧν αἴρεται πίσσα.* Cumque Posidonium sua ex Theopompo hausisse supra statuerimus, Theopompum rem in Ctesiae libro eo ordine tractatam invenisse suspicandum est, quo Posidonius et Aristoteles eam tractant: itaque Aristotelem quoque sua ex Ctesia ipso hausisse colligendum est.

Summa igitur disputationis haec fere est. Ctesias de lacu Palaestinae et de Chaoniae fonte et cratere prope Apolloniam sitis eo ordine, qui apud Aristotelem et Posidonum exstat, ita disputavit, ut et salis et bituminis rationem haberet; neque vero is nomen Nymphaei attulisse, potius hoc ad Theopompum referendum videtur. Aristoteles autem cum l. l. de sale eiusque natura disputet, tantummodo huius rationem habet et modo ea commemorat, quae Ctesias de sale illis regionibus prodito attulit. Theopompus contra

eodem ordine de utriusque regionis duplici natura egit, sed ita, ut bituminis magis quam salis rationem haberet: etenim uno tantummodo loco eorum, qui ad Theopompum referendi sunt, leviter salis mentio fit. Posidonius vero ordinem, quo Theopompus secundum Ctesiam regiones attulit, servans tantummodo bituminis, quippe quod in Theopompi quoque verbis principalem locum tenuerit, rationem habet.

Neque vero disputatio iam ad finem perducta est; etiam apud Aristotelem vestigia eius fontis nobis videntur exstare, unde Ctesias ipse ea, quae de Chaoniae fonte protulit, hausit. Nam fabulam, quam Meteorologicorum loco de Hercule Apolloniatis salem pro piscibus condonante affert Stagirita, hic sine dubio ex Ctesia deprompsit, Ctesiam autem ipsum quoque ex Graeco scriptore hausisse iudicandum est. Atque aptissime mihi haec fabula ad Hecataeum referri videtur, quippe quem in libro suo, qui inscribebatur *περίοδος γῆς,* singulas regiones et urbes afferentem etiam fabularum, quae ad eas pertinuerint, rationem habuisse ex Stephano Byzantio constat, qui s. v. *Μοτύη* haec affert: *πόλις Σικελίας, ἀπὸ Μοτύης γυναικὸς μηνυσάσης Ἡρακλεῖ τοὺς ἐλάσαντας τοὺς αὐτοῦ βοῦς. Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ,* ubi aptissime in hanc de qua agimus rem quadrat, quod in illo quoque Siciliae oppido afferendo fabula ad Herculem pertinens commemoratur; nam inde etiam in Apolloniatarum urbe et regione describenda Hecataeum illam de Hercule fabulam, quam Aristoteles tradit, commemoravisse facile colligi potest. Ctesiam autem ut in libris suis Hellanici et Herodoti rationem habuisse constat (cf. fragm. 29 § 57 Müll.), ita eum Hecataeum quoque ante oculos habuisse eumque secutum esse non est cur negemus, cum praesertim item atque Hecataeus terrae circuitum descripserit.

Verum qui is Ctesiae liber, unde Aristoteles et Theopompus sua exscripserunt, fuerit, pro certo vix affirmari potest. Ceteris enim omnibus locis, quibus Aristoteles Ctesiam affert (Anim. gener. II 2. Anim. hist. VIII 28, 3. III 22. II 1, 10), Stagiritam eum librum, quem de Indicis rebus Milesius scripsit, ante oculos habuisse consentaneum est. Sed hunc etiam Meteorologicorum loco fontem esse vix credide-

rim; veri similius mihi videtur in libro de Persicis rebus Ctesiam de lacu Palaestinae Asphaltite verba fecisse et, ut rem exemplis comprobaret, similem fontis Chaoniae naturam attulisse eodem modo, quo eo loco, quem ex Photio supra exscripsimus, ad rem ad Indiam pertinentem comprobandam ex diversis terrae locis exempla affert. Sed tertium cogitari posse, scilicet ad Periplum Ctesiae ea, quae Aristoteles et Theopompus proferunt, referenda esse, Aristotelis ipsius verba supra laudata monent, quae de fontibus, unde hausit, facit; neque inepte ad eundem librum ea, quae Aristoteles eodem Meteorologicorum loco de Umbriae, Sicaniae, Epiri, Scythices locis affert, referri possunt; namque Umbriae et Siciliae nec non regionis circa Pontum Euxinum sitae in Ctesiae fragmentis quae exstant casu mentio fit (cfr. fr. 90. 81. 57, 8 § 10. 93. 94); tamen huic coniecturae sententia obstat, quam Aristoteles de Ctesiae fide habuit, quam fere pro nihilo videtur putavisse (cf. locos supra laudatos, quibus Ctesiam affert). Neque vero haec, ut Idelerus (ad Meteor. II 3 § 39. tom. I p. 534) censere videtur, causa est, cur hoc, quem tractamus, loco eum Ctesiam secutum esse negemus. Contra verba, quibus totam disputationem introducit (*εἰ δ᾽ ἔστιν, ὥσπερ μυθολογοῦσίν τινες — μαρτύριον ἂν εἴη κ. τ. λ.*), aptissime in Ctesiam quadrant: nam vereri videtur ea, quae sequuntur, afferre, quasi ipse his rebus nullam habeat fidem. Atque similia idem Ctesias de Indiae lacu quodam profert (ap. Antigon. c. 166), de quo inter alia haec dicit: *ὅταν δὲ εἰςπηδῶσιν, ἐκβάλλει αὐτοὺς τὸ ὕδωρ ἄνω. οὐκ ἀνθρώπους δὲ μόνον ἀναρρίπτει. ἀλλὰ καὶ ἄλλο, ὅτι ἂν ᾖ ζῷον ἐκρίπτει εἰς τὸ ξηρὸν καὶ ζῶν καὶ τεθνηκός.*[1]) Apparet igitur ea, quae apud Aristotelem de lacu Asphaltite dicta sunt, ipsum Ctesiam redolere.

Fusius quidem de hac re disputavimus; neque vero operae pretium non fecisse mihi videor, cum quae hac quaestione ad unius loci fontes exquirendos profecimus, ea quo-

---

[1]) Nescio an hic ipse Ctesiae locus is sit, ubi ut exempla rei, de qua agat, afferat, ea quae Aristoteles ceterique ex eo deprompserunt attulerit.

dammodo ad totum genus fontium, quos Aristoteles adhibuerit, intellegendum aliquid lucis attulisse puto; etenim quin praeter Herodotum imprimis ex Hecataei et Ctesiae terrae descriptionibus, quas Graeci *περιηγήσεις* vocant, ea, quae ad geographiam spectant, hauserit minime dubius sum.

Sed redeamus, unde aberravit disputatio. Si igitur Aristotelem de Chaoniae fonte disserentem ad eundem locum atque Theopompum et Posidonium respicere iure censemus, illum Apolloniatarum oppidum non Illyriae sed Chaoniae et Epiro tribuisse iudicandum est, neque vero Aristotelem solum, sed etiam cum Ctesiam, tum Theopompum et Posidonium. Cuius rei causa sine dubio haec est, quod de finibus inter Illyriam et Epirum usque ad Augusti fere tempora nihil constabat (cf. Strab. locis supra laud., Appian. Illyr. 1.).

Supra monuimus Aristotelem Illyriam, Thraciam, Epirum eidem tractui eodem caelo frigidiore utenti tribuisse videri; cum autem dubium esse vix possit, quin Macedoniam quoque et Paeoniam in eodem fere tractu sitas esse putaverit, videtur has quoque terras pro partibus Thraciae ita habuisse, ut eam Thraciae significationem adhibuisse videatur, quae antiquioribus temporibus usitata erat et ad totam regionem ultra Graeciam sitam pertinebat. Eo accedit, quod Chalcidices paeninsula ubique ab eo vocatur *ἡ ἐπὶ Θρᾴκης* et Chalcidenses *οἱ ἐπὶ Θρᾴκης*, quod significat: ‘Chalcidice prope Thraciam vel iuxta Thraciam sita.’ Ita autem dicere non potuit, nisi Chalcidicen aut prope Thraciam ipsam aut non longe a finibus Thraciae sitam esse iudicavisset. Cum autem ‘Paeoniae’ quasi propriae civitatis saepius mentionem faciat, eum ad eam gentium distributionem respexisse suspicor, quam Strabo (VII 323) his verbis affert: *ἀπὸ δὲ τῆς ἀρχῆς τῶν Μακεδονικῶν ὀρῶν καὶ τῶν Παιονικῶν μέχρι Στρυμόνος ποταμοῦ Μακεδόνες τε οἰκοῦσι καὶ Παίονες καί τινες τῶν ὀρεινῶν Θρᾴκων. τὰ δὲ πέραν Στρυμόνος ἤδη μέχρι τοῦ Ποντικοῦ στόματος καὶ τοῦ Αἵμου πάντα Θρᾳκῶν ἐστι πλὴν τῆς παραλίας. αὕτη δ᾽ ὑφ᾽ Ἑλλήνων οἰκεῖται, τῶν μὲν ἐπὶ τῇ Προποντίδι ἱδρυμένων, τῶν δὲ ἐφ᾽ Ἑλλησπόντῳ καὶ τῷ Μέλανι κόλπῳ, τῶν δ᾽ ἐπὶ τῷ Αἰγαίῳ.* Discernimus igitur inter Paeoniam et Macedoniam; illam quidem

usque ad Strymonem, hanc usque ad Nestum flumen pertinere Aristoteles sine dubio putavit; hanc enim amplitudinem Macedoniam post Philippum habuisse praeter alios Strabo testis est (VII 323).

Quae cum ita sint, proximum est, ut de Thracia, deinde de Paeonia et de Macedonia, tum de Epiro, denique de Graecia disseramus. Sed hanc reliquam dissertationis partem alio loco edemus; iam disputationis finem facimus.

Vita.

Gustavus Ioannes Franciscus Sorof natus sum a. d. IV. Id. Oct. a. h. s. LXIII Potisdamiae patre Gustavo matre Clara de gente Kristen, fideique asscriptus sum evangelicae. Per novem annos gymnasium frequentavi Putbusinum, cui tum pater rector praefuit. Maturitatis instructus testimonio vere anni LXXXI almam universitatem adii Halensem, ubi per unum semenstre scholis interfui virorum illustrissimorum Dümmleri, Hertzbergii, Hilleri, Keilii, Kirchhoffii, Koestlinii, Tschakertii. Unde Berolinum transgressus per duo semenstria I. G. Droysenium, A. Kirchhoffium, Kiepertum, Robertum, de Treitschkeum, Vahlenum, Zellerum viros illustrissimos audivi. Praeterea ad exercitationes ab ipsis moderatas philologicas Vahlenus, archaeologicas Robertus, historicas Mommsenus aditum mihi benigne permiserunt. Tum reversus Halas per quinque semenstria scholas frequentavi virorum illustrissimorum Bartholomaei, Dittenbergeri, Dümmleri, G. Droysenii, Erdmanni, Glogavii, Haymii, Hilleri, Keilii, Kirchhoffii, Neumanni. Per unum semenstre exercitationibus proseminarii philologici, per tria semenstria seminarii philologici, per unum semenstre seminarii historici a Dümmlero moderati sodalis interfui ordinarius. Praeterea ad historicas suas exercitationes Neumanni benignitas me admisit.

Quibus viris cum omnibus, tum Hillero, Keilio, Neumanno, Vahleno gratiam habeo quam maximam semperque habebo.